lib. 3. de bello Gothico: „ Erga agricultores, agreſteſque homines „ tanta hic indulgentia, ac providentia utebatur, ut Beliſario ductante exercitum nullam hi vim paterentur, ſed inſperato potius opulenti, & divites reddebantur, ut qui „ crebro adventantibus copiis majori omnia in victum pretio venditarent. Segetes inſuper, dum in agris matureſcerent, diligentius tuebatur, ne forte equorum greges eas devorarent: arborumque maturos fructus, frugeſque ceteras „ invitis dominis ſuis attingere prohibebat. „ Recte ergo PP. Concilii Lateranenſis ſtatuerunt, tempore belli plena ſecuritate gaudere debere ſupra relatas perſonas; nam eorum vita ab armorum ſtrepitu aliena, & injuſte ab hoſtibus læderentur; & ſic arbores ipſæ frugiferæ cedi vetantur in bello, quia frugiferi plus quam relatæ perſonæ conſiderari valent, ut argumentatur Bodinus *li. 2. de Monolatr.*

12 Proſequitur eadem ratio. Si præſentem deciſionem accipias (ut ſentio, accipioque) de ſecuritate præſtanda a propriis, magna cum ratione PP. in præſenti decreverunt, perſonas ſupra enumeratas tempore belli plena debere frui ſecuritate; nam Presbyteri, clerici, monachi, peregrini immunes ſunt gabellis, indictionibus, & ſuperindictionibus, ut Deo annuente late dicemus *in c. non minus, c. adverſus, de immunit. Eccleſiar.* igitur & a tributis, muneribuſque militiæ occaſione injunctis debent eſſe immunes. Quoad mercatores etiam, & agricolas notum eſt, pluribus privilegiis juvari, ut referunt Renatus Chopinus *de priv. ruſtic.* Stracha *de mercatura, p. 1. n. 38.* Collantes, & alii ſupra in notis laudati; publice enim intereſt eſſe in Repub. qui agros colant, & mercaturam exerceant. Unde ſinendi non ſunt agriculturam deſerere, & militiæ nomen dare. Caſſiod. *l. 2. variar. ep. 5. Arripiant ferrum, ſed unde agros excolant; ſumant cuſpides, boum ſtimulos, non furoris.* Quare tempore belli non ſolum nova tributa imponi illis non debent, verum & ſi qua antiqua vectigalia pendebant, ſolvere non tenentur. Mire ad rem Cicero pro lege Manil. ibi: „ Cum hoſtium copiæ non longius „ abſint, etiamſi irruptio nulla facta ſit, tamen pecora re„ linquuntur, agricultura deſeruntur, mercatorum navigatio „ conquieſcit; ita neque ex portu, nec ex decimis, neque ex „ ſcriptura vectigal conſervari poteſt. „ Recte ergo in noſtro textu illis ſecuritas conceditur belli tempore, ut ſic ſua exercitia non deſerant, & Reſpublica magnopere lædatur. Proſequitur Gentilis *d. lib. 2. de jure belli, cap.*

13 Diſſolvitur dubitandi ratio. Nec tunc adverſatur dubitandi ratio ſupra adducta; nam licet verum ſit, captos in bello juſto ſervos fieri capientium, & ab hoſtibus capta ſtatim jure gentium noſtra fieri, ex juribus ſupra adductis, cum quibus in hac parte obſervandi ſunt textus *in l. ſi pactionem 44. §. 2. ff. de bonis libertorum, l. penult. §. ult. ff. de donat.* juncto Fornerio *lib. 4. rerum quotid. c. 12. l. ſervus 16. ff. de interrog.* juncto Præceptore D. Joſepho de Retes *li. 6. opuſc. c. 10. n. 7. l. 1 C. de re militari, lib. 12.* adhibito ipſo *d. l. 6. c. 5. n. 8. l. ſi cum quis 41. §. ult. ff. de furtis, l. 4. ff. de ſepulchro violato, l. ult. ff. de legat.* juncto ipſo D. Joſepho de Retes *d. l. 6. c. 1. n. 8. l. 1 C. de gladiatoribus, lib. 11. l. Divus 31. ff. de jure fiſci,* juncto Oſualdo *ad Donel. lib. 4. cap. 21. litt. E. l. Lucius 11. ff. de evict.* juncto Amaya *lib. 1. obſerv. c. 1. & ad l. unde, C. de fundis limitrophis.* Merillo *lib. 1. obſerv. c. 6. l. ſi fundus 33. ff. locati,* juncto Merillo *lib. 1. variarum ex Cujac. c. 26 & d. lib. 2. obſer. c. 6. l. item 15. §. item ſi forte, ff. de V. S.* junctis Amaya *ubi ſupra,* Eman. Suar. *lib. 1. obſer. c. 2.* Hunnio *ad Treutlerum, vol. 1. diſp. 6. q. 8. l. item 22. §. fin. ff. famil. erciſc. l. 1. §. ſi pater 12. ff. ad Syllan.* juncto Santalor. *interpret. 11. leg. juſto 44. §. etſi poſſeſſionis, ff. de uſucap.* juncto Pinello *lib. 2. ſelect. cap. 3. n. 39.* illud tamen procedit, cum bellum geritur inter infideles, non vero ſi inter chriſtianos; nam tunc nulla ſervitus inter eos datur: quare licet ruſtici, mercatores, aut peregrini ab hoſtibus capiantur, ſervi non fiunt: res vero eorum capientibus non acquiruntur, quia plenam ſecuritatem ex hoc textu, & ſimilibus obtinent. Nec alia pars dubitandi rationi adverſatur; nam in ea adducta procedunt, cum ob privatam cauſam publica negligitur; non vero cum ob publicam alia æque publica, & forſan major inſuper habetur, ut in noſtro textu, in quo ratio religionis in clericis, & monachis; ratio publicæ utilitatis in ruſticis, & mercatoribus facit, ut illis concedatur tempore belli plena ſecuritas.

14 Exponitur c. pervenit, de immunit. eccleſ. Sed ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in c. pervenit, de immun. Eccleſiar.* ubi proponitur, tempore belli teneri omnes indiſtincte ad cuſtodiam murorum civitatis, ſive clerici, ſive monachi ſint: igitur tempore belli prædictæ perſonæ non gaudent plena ſecuritate. Pro hujus difficultatis expoſitione ſciendum eſt, quod licet verum ſit eccleſiaſticas perſonas tempore belli plena ſecuritate gaudere, nec teneri ad omnia realia, & perſonalia, tamen cum adeſt neceſſitas, & bonum commune verſatur, poterunt compelli militantibus adeſſe, & vigilare, ac cuſtodire ipſam civitatem obſeſſam; quia tunc obſidionis tempore imminet commune periculum, ut docent Mencacha *l. 1. uſufreq. c. 6.* Aviles *in capitulis Prætorum, v. Denorden,* Diana *tom. 1. tract. 2. reſolut. 76.* Gibalin. *de irregul. c. 4. fol. 255.* Germon. *lib. 3. ſacror. cap. 11. num. 22.* Delben. *de immunit. tom. 2. cap. 9. dub. 2.* quo caſu accipiendus eſt textus *in dict. cap. pervenit,* ut in ejus commentario late dicemus.

TITULUS XXXV.

De Pactis.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio a Carthaginenſi.

Antigonius Epiſcopus b Maduren. c dixit: Gravem injuriam patior, & credo dolere Sanctitatem veſtram contumeliam meam, & computare communem injuriam. Optantius cum ſe repræſentaret, pactum mecum habuit, & diviſimus plebes. Manuſcriptiones noſtræ tenentur d epitacia. Contra hoc pactum circuit plebes mihi attributas, & uſurpat populos, ut illum patrem, me vitricum nominent. Gratus Epiſcopus dixit: Factum hoc dolendum eſt, ut in ſe alliciat populorum imperitorum animas, contra diſciplinam, & contra evangelicam traditionem, contra pacis placita. Nam ſi ibi id poſſe contingere arbitraretur, nunquam profecto in fratrem aliquis deliquiſſet. Unde aut inita pacta ſuam obtineant firmitatem, e aut f conventus, ſi ſe non cohibuerit, eccleſiaſticam ſentiant diſciplinam. Univerſi dixerunt: Pax ſervetur, pacta cuſtodiantur.

NOTÆ.

1 a Carthaginenſi.) Vulgo legitur *Africana*, ſed non recte; legendum enim eſt *Carthaginenſi, can. 12.* ut notavit Ant. Aug. *in notis ad c. 1. hoc tit. in 1. collect.* Concilium hoc Carthaginenſe primum appellatum, non quia alia antea non fuiſſent in Provincia Carthaginenſi, ſed quia aliis deperditis, illorum quæ extarent, hoc primum antiquiſſimumque erat: celebratum fuit Carthagine ſub Julio Primo Pontif. anno 348. in eo ſchiſmaticis Epiſcopis deturbatis, & populis ad Catholicæ Eccleſiæ unitatem compaginatis, Gratus Epiſcopus Carthaginenſis varia partibus propoſuit circa unitatem, & pacem Eccleſiæ. In eo fuerunt quatuordecim Canones ſanciti, quorum duodecimus refertur in præſenti, & in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 1. & t. 1. Conciliorum.* Referunt hujus Concilii hiſtoriam Baronius *t. 3. an. 348.* Coriolanus *in Breviario, eod. anno.*

2 b Maduren.) In aliis codicibus legitur *Matirenſis*, in aliis *Martinenſis*; credo legendum eſſe *Marſulenſis*. Marſula enim Eccleſia eſt in provincia Proconſulari Africæ. Legi etiam poteſt *Madaurenſis*, quia Madaurus civitas etiam eſt in eadem provincia, ut tradit Carolus a Sancto Paulo *in chronogr. ſacr.*

3 c Dixit.) Eadem forma actorum in conſiſtorio Imperatorum legitur *in leg. 5. & 8. C. Theodoſ. de fide inſtrument. leg. proxime, ff. de his, quæ in teſtament. leg. penult. de auctor. tut. leg. 1. C. de veteranis, lib. 12. leg. creditor, ff. ad legem Jul. de vi priv. leg. extat, ff. de eo, quod metus, leg. 1. C. de ſentent. paſſis, leg. 2. C. de excuſat. mun. lib. 10.* quod notarunt Pancirola *lib. 1. variar. c. 38.* Gutherus *de officiis domus, lib. 1. c. 24.* Valleſius *in notis ad Marcell. pagin. 171.* facit lex *nec honora, C. de Epiſcop. & Cleric.*

d Epitacia.) Antonius Auguſtinus *in notis ad hunc textum* legit *Pittacia*. Pittacium autem, ſive Pyctacium, eſt panni fruſtulum; & per ſimilitudinem fruſtulum aliquod membranaceum, aut chartaceum, ubi aliquid ſcribitur. Zacharias Pontifex *epiſt. 131. ad Bonifacium,* ibi: *Continebant enim capitula in pyctacio ab eis propoſito.* Strabo *in fin. rerum Vventinſelium,* ibi: *Emendare dignanimi quidquid in hoc pyctacio cenſura veſtra aptum deliberabit.* Lampridius *in vita Alexandri Severi.* 4 Unde inter munera Eccleſiæ Conſtantinopolit. a Curopolate recenſetur Protonotarius, cujus munus ita deſcribit: *Protonotarius oſtium eſt, & aditus ad Exocatacelos, præſtque pyttaciis conficiendis.* In quem locum notavit Gretſerus *c. 6.* ex aliis docent Roſuveidus *in Onomaſtico, ad vita PP. verbo Pyctacium.* Gaſpar Barthius *lib. 12. adverſarior. cap. 1.* pyctacium dictum eſt a verbo Græco πτύσσειν cujus reperitur mentio *in c. ſi quis Papa, 79. diſt. c. pyctacium, 30. q. 3. l. ſuſceptorum 10. l. actuarii 16. C. Theodoſ. de erogation. militar. annon. l. expleto 16. C. Juſtin. eodem titul. l. parere, C. de ſent. ex periculo:* & inſtrumentum, in quo recenſebantur ſpecies annonariæ militibus erogandæ, dicitur pyctacium *in l. 11. C. Theodoſ. de erogat. milit. annon. l. 13. & 16. eodem, l. 29. Cod. de pet. & ultro datis.*

5 e Aut.) Hæc alternativa non ſupponit, pactum non eſſe obſervandum, ſed tantum comminationem continet, ut ſi pacta non cuſtodiantur, ad eorum obſervationem a judice compellantur, ut jam notavit Lælius Mancinus *l. 1. genial. c. 60.*

6 f Conventus.) Etſi in finibus ſtatuendis diœceſis in omnibus provinciis Legislatores eccleſiaſtici curaverint certos limites ſtatuere; tamen plerumque eamdem partitionem Epiſcopi conventionibus firmabant, ut ex hoc textu notat Lantdmet. *lib. 2. de veteri monacho, capit. 70.*

COMMENTARIUM.

7 Ex pacto nudo, an detur actio. Ex hoc textu, præcipue ex illis verbis: *Pax ſervetur; pacta cuſtodiantur;* deducunt communiter Interpretes, *ex pacto nudo jure Canonico actionem dari, & ipſam nudam conventionem non ſolum exceptionem, verum & efficacem actionem producere.* Ita docent Baldus, Butrius, Hoſtienſis, Zabarella *in præſenti,* Antonius Gomez *lib. 2. variar. cap. 9. num. 2.* Medera *animadverſ. cap.* Azevedus *in l. 2. titul. 16. lib. 5. recopilat.* Gregorius Lopez *in l. 2. verb. Ovalavier: titul. 16. cap. 5.* Guttierez *de juram. part. 1. c. 34.* plures alii relati a Cenedo *collectan. 31. ad Decretales, n. 5.* Didacus Perez *in l. 3. tit. 8. lib. 3. ordinam.* Bocerus *tit. 1. claſſ. 2. diſputat. 1.* Socinus *regul. 8.* Caniſius *in præſenti,* Cironius *ad hunc tit.* Arnold. Vinius *de pactis, c. 7.* Cabreros *l. 2. de metu, c. 11. n. 21.* Beſoldus *in delibat. juris, & l. 2. Pand. tit. de pactis,* Caſtillo *de alimentis, c. 22.* Joannes Paulus Nellus *in additionibus ad ipſum, c. 17.* Pro quorum communi ſententia primo facit textus præſens in illis verbis: *Conventus pacta cuſtodiantur.* Ubi generaliter jubetur, conventiones, pacta cuſtodiri. Secundo facit textus *in c. qualiter 3. hoc tit.* in illis verbis: *Studioſe agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur.* Igitur nuda etiam promiſſio adimplenda eſt. Tertio facit ea conſideratio, nam jus noſtrum canonicum inter ſimplicem loquelam, & juramentum nullum agnoſcit diſcrimen, *c. juramenti 12. 22. q. 5. c. pervenit, de fidejuſſor.* Grotius *de jure belli, lib. 2. c. 13.* ſed ex pacto nudo, juramento accedente, naſcitur actio, *c. cum contingat, 28. de jurejurand. c. licet, eod. tit. in 6. c. quamvis, de pactis, eod. lib.* Guttierez *ubi ſupra,* Barboſa *l. 3. vot. 76.* igitur & ex pacto nudo naſcitur actio. Quarto fulcitur hæc *ſententia ex cap. 1. de judiciis,* ubi quod vultdeus ob nudam promiſſionem comparendi in judicio cogitur comparere: igitur quia jure canonico pactum nudum efficax eſt ad producendam actionem. Quinto firmatur dicta ſententia, quia jus canonicum ſemper æquum, & bonum amplectitur, *c. dilecti, de judiciis:* ſed nihil æquitati magis conſentaneum eſt, quam pacta ſervari, *l. 1. ff. de pactis, l. 1. ff. de conſtit. pecun.* & grave peccatum eſt fidem fallere; ſiquidem, ut ait Quintilianus *l. 2. inſtitut. cap. 29. Supremum rerum humanarum vinculum eſt.* Unde jus canonicum, quod principaliter reſpicit forum animæ, & juſtitiam internam, *c. novit 13. de judiciis, c. fin. de præſcript.* debet pacta etiam nuda efficaciter approbare: igitur pactum etiam nudum jure canonico actionem producit. Adſtruitur ſexto ex textu *in c. 1. de probat.* ubi pacta nuda inita inter Imperatorem, & Regem Gothorum, obſervari jubentur a Gregorio Magno: igitur quia pactum nudum jure Pontificio efficax eſt & producit actionem. Tandem idem ſuadetur *ex c. ex reſcripto, de jurejur. c. cum inter R. de electione, c. quicumque 66. q. 2. c. quia Joannes 12. q. 5. c. indicante, de teſtamentis,* qui expenduntur pro dicta ſententia a ſuis ſectatoribus.

8 Negativa ſententia probatur. Sed hac communi ſententia rejecta melioris notæ Interpretes docuerunt jamdiu, ex pacto nudo, nec jure civili, nec canonico actionem oriri: ita tenuerunt Connanus *l. 5. commen. c. 3. n. 5.* Covar. *in c. quamvis pactum, 2. part. §. 4. n. 12.* Morla *in empor. part. 1. titul. 3. q. 2.* Germonius *lib. 1. animadverſ. c. 4.* Mendoza *de pactis, quæſt. 9.* Boetius Epon. *l. 1. de jure ſacro, n. 109.* Fachineus *l. 7. controverſ. c. 100.* Cujacius *in c. 2. de ſponſal.* Faber *in l. ait Prætor, §. ſervabo, ff. de pactis,* Alciatus *l. 5. paradoxor. c. 3.* Oſualdus *ad Donel. l. 12. comment. cap. 9. littera A,* Ferretus *in l. juris gentium, §. igitur nulla, ff. de pactis,* Faber *in d. l. 7. §. ait Prætor,* Pacius *in d. l. 7. §. ſed cum nulla.* Pro quorum ſententia ſequentia faciunt. Primo, nam ſi ex pacto nudo actio efficax jure canonico competeret, judicis officium ad pacti obſervantiam non eſſet neceſſarium, *l. qui per colluſionem 49. §. 1. ff. de action. empti.* ſed ut pactum nudum obſervetur jure canonico, officium judicis competit, *c. fin. de foro competenti, l. 6.* igitur quia ex ipſo pacto non naſcitur efficax actio. Deinceps, nam a jure civili non eſt recedendum, niſi adſit expreſſa deciſio canonica contrarium ſtatuens, *c. 1. & 2. de novi operis nuntiatione;* cum correctio facile admittenda non ſit, *c. cum expediat, de electione lib. 6.* ſed in jure noſtro neutiquam reperitur expreſſe pactum nudum actionem producere, non obſtante juris civilis diſpoſitione: igitur juri civili, quo inſpecto ex pacto nudo actio non naſcitur, ſtandum eſt, præcipue cum actiones a jure civili proficiſcantur, *l. 2. §. deinde, ff. de origin. juris,* Inſtitutarii *in rubrica de Actionibus.* Rurſus, nam ſi ex pacto nudo oriretur actio, remedium extraordinarium non eſſet, ut pactum obſervaretur. Sed ad pacti nudi obſervantiam denuntiatione evangelica, quæ eſt remedium extraordinarium, utimur, *ex c. novit, de judiciis:* igitur quia ex pacto nudo actio non naſcitur. Facit etiam textus *in c. ſi cautio 4. de fide inſtrument.* qui videtur tranſcriptus *ex l. cum de indebito 25. §. ult. de prob.* ubi inſtrumentum factum ſine expreſſione cauſæ non nocet debitori, niſi creditor debitorem provocaverit: igitur quia ex nuda voluntate efficax actio non naſcitur. Facit etiam juris canonici ſcopus, qui eo tendit, ut peccata inhibeat, & homines ad vitam perducat ſpiritualem, *c. fin. de præſcript.* ſed peccatum perfidiæ committit, qui placita non ſervat. Div. Thomas *ſecunda ſecundæ, quæſt. 110. artic. 3.* Ergo, &c.

9 Pacti etymon. In hoc Interpretum diſſidio, ut præſentis canonis verum ſenſum percipiamus, ſciendum eſt pactum (omiſſo Accurſio *in l. 1. §. 1. ff. hoc tit. verb. Pactum,* qui exiſtimavit pactum dictum fuiſſe a percuſſione palmarum, motus tum *ex l. 1. ff. de cenſib.* ubi fedus pacti dicitur: tum ex eo quod paſſim obtinuit, ut videlicet, qui paciſcerentur, mutuo ſibi, veluti in ſymbolum datæ fidei, porrigerent manus, unde in antiquis nummis in pacis ſymbolum videntur duæ manus conjunctæ, & inter illas Mercurii caducæum, ut obſervat Oroſius *in d. l. 1. § 1.*) eſſe ita appellatum a pactione; unde etiam pacis nomen originem ducit. Ulpianus *in l. 1. §. 1. ff. hoc tit.* Cui conſentiunt Feſtus Pompejus *verbo Pax,* Caſſiodor. *in Pſalmo 121.* juxta veriorem lectionem, quam retinet Savarus *ad Sidon. l. 9. ep. 5.* Iſidorus *l. 8. orig. c. 1.* licet alii exiſtiment, pactum non a pactione, ſed a pace dictum fuiſſe, moti auctoritate Iſidori relata *in c. pactum 11. de V. S.* Ita docuerunt Connanus *l. 5. comment. c. 1. n. 8.* Oroſius *ubi proxime,* Charondas *l. 1. veriſim. cap. 4.* Alii, quos refert, & ſequitur Mendoza *de pactis, l. 1. cap. 7. n. 1.* qui recte ſentiunt, Ulpianum tam pacti, quam pacis etymon non ex Grammaticorum regulis, ſed ex Stoicorum more relato Iſidoro *l. 10. etymol. in princ.* deduxiſſe, pactum & pacem a pactione ducunt, quia pactio antecedit pactum, & pacem; eſt enim nomen quod proprie dicitur, cum fit: pactum autem, & pax poſtquam eſt factum: quem morem ſecutus fuit ipſe Ulpian. in tradenda juſtitiæ etymologia *in l. 1. ff. de juſtitia,* ubi notarunt Concius *l. 2. lectionib. c. 6.* Julius Pacius *in d. l. 1. §. 1.* Sed ſi verum amamus, apud Romanos pactum, pax, & pactio a verbo antiquo *paco,* originem ducunt, quod idem valebat, ac paciſcor, a quo olim non pactionem, ſed pacionem dicebant antiqui. Feſtus verbo *Pax:* & *in ll. XII. Tabul.* legebatur: *Si membrum rupſit, ni cum eo pacit, talio eſto;* ut ex Feſto *verb. Talionis,* & Gellio *l. 20. noctium, c. 20.* reſtituit Gothofredus *in quatuor. fontibus, tabul. 7.* & notarunt Revard. *ad ll. 12. Tabul. c. 25.* Antonius Auguſt. *ad eaſd. ll. c. 33.* Balduin. *ſimil. tract. c. 61.* vel potius, ut volt Connan. *d. n. 8.* pactum, & pactio originem ducunt a verbo pago, juxta Ciceron. *in 2. ad Herrennium. Ex pactoſis, & ſi quid inter ſe pepigerunt. Et in 12. Tabulis,* ex ipſius teſtimonio, *Rem ubi pagunt, oratione pagunt.* Quæ verba rectius reſtituit Gothofredus ſupra *in not. ad tabul. 1.* ita: *Rem uti pacunto, rato pacunto.*

10 Pacti definitio. Secundo ſciendum eſt, quod juxta Ulpian. *in l. 3. ff. de pollicit.* pactum eſt duorum conſenſus, atque conventio: Conſentit ipſe *in l. 1. §. 2. ff. hoc tit.* dum ait: *Pactio eſt duorum, pluriumve in idem placitum conſenſus.* Adſtipulentur Iſidorus *in d. cap. pactum,* Cicero *lib. 2. de invention.* Exponunt Morla, Mendoza, Butigela, & Arnoldus Vinius *de pactis, c. 1.* Hothoman. *de pactis, c. 1.* Treutler. *ſelectar. diſput. theſi 1. volum. 1. diſput. 6.* Cujac. Duarenus, & Anton. Faber *ad tit. ff. de pactis,* Hunnius, & Bachovius *ad Treutl. ubi ſupra,* Fornerius *l. 5. rer. quotid. c. 14.* Qua diffinitione generice ſumpta comprehenduntur omnes contractus, conventioneſve; ſiquidem nullus eſt contractus a jure approbatus, qui non contineat duorum conſenſum, *l. ſi me 33. ff. de reb. cred. l. 1. §. ſi ſtipulanti, ff. de V. O.* Unde pactum, prout genus eſt, aliquando accipitur pro contractu. ſic ſocietas pactum dicitur *in l. duo 71. ff. pro ſocio.* Et pactum arrhale *in l. 3. C. de action. empti,* pro contractu arrhali, vel arrhabonico. Et *in l. contractus, C. de fide inſtrum.* pactus dicitur, qui emptionem vere contraxit: & *in l. ſi unus 27. §. pactus 2. ff. hoc tit.* pactum aſſeritur proficere ad novum contractum, hoc eſt pactum novum contractum fieri, quo modo, & pactorum appellatione contractus intelliguntur *in l. traditionibus, C. hoc tit. & l. omnium 3. ff. de uſufruct.* & pactum pro omni contractu, ſive conventione accepiſſe videtur Cicero *in partit. circa fin.* „ Scriptorum, *ait*, privatum aliud eſt, „ publicum aliud: publicum lex, ſenatuſconſultum, fœdus: „ privatum tabulæ, pactum, conventum, ſtipulatio, *Et auctor Rhetor. ad Herennium,* lib. 2. Ex pacto jus venit, ſi quid „ inter ſe pepigerunt, ſi quid inter aliquos convenit.“ Conſentitque Revardus *l. 2. var. c. 1.* Cujacius ſibi contrarius *l. 11. obſ. c. 17.* Carondas *d. l. 1. veriſ. c. 4.* Donel. id exacte diſputans contra Duarenum *in rubr. C. hoc tit. a n. 3.* Connanus, & Morla *ubi ſupr.* Arnoldus Vinius *d. tr. de pactis, c. 1. n. 6.* ac profecto etiam *in d. l. 1. §. 2. hoc tit.* fuiſſe Ulpiani mentem, ut pactum generice acceptum definiret, ſuadetur ex ſubjecta ab eodem Ulpiano conventionum diviſione *in d. l. 1. §. 1. l. conventionum 5. & l. legitima 6. cum ſequenti, ff. hoc tit.* Si autem in ſpecie accipiatur pactum, tantum continet eam conventionem, quæ adhuc nomen ſortita non eſt: quod ut Doctores exponant, pacta dividunt inter nuda & (conficto vocabulo a barbaris) veſtita, a quibus libenter quærerem, cur ſimiliter voluntatem, & alia non diviſerunt inter nuda, & veſtita; ſiquidem nudæ voluntatis mentio fit *l. 1. ff. de teſtam. milit. l. rem legatam 28. ff. de adimend. legatis;* nudi conſenſus *in l. quod certum, ff. locati;* nudæ proprietatis *in l. videamus 1. ff. de uſuris;* nudi uſus *in l. 1. ff. de uſu, & habit.* nudæ poſſeſſionis *in l. ſtipulatio, §. ſi quis, de V. O.* nudæ indulgentiæ *in l. 1. ff. unde cognati;* quibus nihil abſurdius dici notarunt Duaren. *in d. l. juris gentium, §. igitur, ff. de pactis,* Coraſius *lib. 1. miſcel. c. 1.* Quare commodior diviſio eſt, quæ pacta dividit inter legitima, & nuda. Legitima ſunt, quæ a jure civili approbata inveniuntur, & cauſam producendæ obligationis habent, & nomen, ut emptio, locatio, & ſimilia, quæ recenſere nimis otioſum eſt. Nuda vero pacta ſunt, quæ tantum ſtant in puris terminis conventionis, nec habent in ſe negotium aliquod, ut definit Ulpian. *in l. ſolent,*

lent; ff. de præſcriptis, d. l. juris gentium, §. ſed cum nulla. Quibus nulla ſubeſt cauſa præter conventionem (juxta veriorem lectionem,) præſidio legis deſtituta, quæ placiti fine ſtant, l. ſi lib. 27. C. locati; per metaphoram nuda dicta, quia ſimplicia, & ſine juribus ſunt: quo modo Juvenalis nudam ſenectutem dixit ſatira 7.

Terpſichorem odit facunda, & nuda ſenectus.

Et Horatius veritatem nudam pro ſimplici.

Incorrupta fides, nudaque veritas.

Pacta enim nuda conſenſu dicuntur: quo in uſu juris accipitur nudus conſenſus, nuda proprietas, nudus uſus, nuda cogitatio, l. 1. ff. de rer. permut. l. filius, §. Divi, ff. de legatis 1. l. 2. ff. quibus modis uſufruct. l. nuda, ff. de donation. l. 3. ff. de adimendis, l. 1. §. hanc, ff. depoſiti, l. 1. ff. de uſu, & habit. l. præſenti, C. de his, qui ad Eccleſiam: igitur nudum pactum illud dicitur, quod nec in proprium nomen contractus tranſit, nec ei accedit aliqua cauſa. Duæ itaque notæ ſunt, quibus nuda pactio diſtinguitur ab aliis conventionibus, quæ actionem pariunt. Prima eſt, quia in ſuo generali nomine conventionis ſtat, neque tranſit in proprium nomen certi contractus, ſicut emptio, & ſimiles conventiones nominatæ. Secunda nota eſt, quia cauſam nullam habet præter conventionem: hoc eſt, confirmata non eſt datione, aut facto unius ex paciſcentibus, ut actionem producat, ſicut evenit in conventionibus innominatis poſt implementum: proponunt & exponunt poſt Bartolum, Fulgoſium, & Cujacium in d. l. juris gentium, idem l. 2. obſervat. c. 15. Donellus lib. 12. comment. c. 9. Briſſonius de V. S. verb. Nuda pactio, Mantua de tacitis lib. 1. tit. 6. n. 1. Madera animadv. c. 9. Vinius de pactis, c. 5. & 6. plerumque dicitur pactum conventum, l. ſi unus 27. §. pactus 2. §. pacta 4. l. contra 28. ff. hoc tit. l. 4. ff. de pignorib. leg. pacta 42. ff. de contrah. empt. & alii congeſti a Briſſonio verb. Pactum. Unde refellitur Mendoza lib. 3. de pactis c. 11. n. 4. qui exiſtimat, numquam in jure pactum conventum accipi pro nudo pacto, ſed pro conventione contractu adjecta, cui conſentit Pancirol. lib. 2. variar. c. 27. Nudæ autem pactionis nomen ex re ipſa natum eſt; quoniam ſimplex, & nuda conventio eſt merum placitum, cauſa, & nomine nudum: quemadmodum alibi emptiones, & pignora nudo conſenſu contrahi dicuntur, hoc eſt, conſenſu ſolo, l. 1. §. item emptio, ff. de rer. permut. l. prout 80. de ſolut. l. 1. ff. de pignorat. action. Notant, & exemplis illuſtrant poſt Duarenum, Eguinarius, & Pacius in d. l. juris gentium 7. Corraſ. lib. 1. miſcel. c. 1. Hothomanus diſp. de pactis, c. 1. n. 6. Morla lib. 3. de pactis, tit. 21. Merillus lib. 1. ex Cujac. c. 9. Petrus Greg. lib. 21. ſyntagm. c. 6. Marcus Aurel. Galban. de uſufruct. c. 16. aliquando tamen late pactum accipitur pro contractu, ut in l. traditionibus 20. C. de pactis, expoſuerunt Donel. & Giphanius, Briſſonius de V. S. verb. Pactum nudum, Pacius in d. l. 7. §. Sed cum nulla.

11 Pactum nudum non producit actionem.

Certum eſt, pactum nudum, prout expoſitum manet, jure civili nullam actionem producere, ideſt, inefficax eſt ad agendum, d. l. juris gentium 7. §. ſed cum nulla, l. diviſionis 45. ff. de pactis, l. legem 10. l. in bonæ fidei 13. C. de pactis, l. nuda, C. de contrah. ſtipul. l. ſi tibi 27. C. locati, l. diviſionem 15. C. famil. erciſcun. l. ſolent 15. ff. præſcript. verb. l. 2. ff. de rer. permut. l. ex placito, C. eod. tit. l. quod ſi locus 12. ff. de religioſ. l. 1. C. de pactis conventis. l. 2. C. de except. novel. 12. Leonis, Paulus lib. 2. ſentent. tit. 14. in fine, late docent Morla, Mendoza, Madera, Vinius, & Galban. ubi ſup. Bronchorſt. centur. 1. aſſert. 39. Parlador. lib. 2. rer. quotid. c. 3. n. 7. Donellus lib. 19. commen. c. 2. ubi Oſuald. littera A, Duarenus ad titulum de pactis, in l. 1. Cujac. l. 3. qu. Pauli, in l. lecta 40. ff. de reb. credit. & l. 10. quæſt. Papin. in l. pacta, ff. de contrah. empt. & l. 11. quæſt. Pap. in l. in omnibus 41. ff. de judiciis: pulchre, & hinc explicandus Seneca l. 5. de beneficiis, c. 21. ibi: „ Quæ lex ad id præſtandum nos, quod promittimus, obli- „ gat? Nulla. Querar tamen cum eo, & fidem datam, nec „ ſervatam indigaabor. “ Non eſt exaudiendus Seneca, cum dicit nullam legem obligare nos ad obſervantiam pactorum, de nullo jure, etiam naturali; ſed de nulla lege civili Romanorum, ſecundum quos pacta conventa, ſi nuda erant, ex parte debitoris proficiebant ad excipiendum, ex parte vero actoris non producebant actionem, nec efficaciter obligatoria fuerunt, & in hoc ſenſu a Prætore cuſtodiebantur, ut dicitur in d. l. 7. §. ait Prætor; receſſerunt enim Romani in hac parte a juris naturalis vinculo, non illud improbantes, ſed non approbantes; & relinquentes in ſua naturali vi, negative ſe habendo, non tribuendo eis efficaciam civilem, ut docent Fortunius Garzia in lege 1. ff. de pactis, fol. 66. Madera l. 2. animadv. cap. 10. Mendoza de pactis, l. 3. epiſt. 9. num. 5. Connanus l. 1. comment. c. 6. num. 12. Sed in ratione hujus principii aſſignanda anxie laborant Interpretes; frequentiori tamen calculo ea recipitur, videlicet, ideo ex pacto nudo actionem non oriri, quia qui paciſcitur in nudo pacto, creditur ex animo non deliberato, & magis loci, & jactantiæ cauſa, quam voluntate ſe obligandi promittere, argumento textus in l. ſciendum 19. §. ea autem, ff. de ædilit. edict. Sed ea refellitur a Morla d. q. 1. de pactis. Quare ea omiſſa, vera ratio eſt, quia noluerunt Legiſlatores, ut tot eſſent cauſæ obligandi, ne alias nimia facilitate homines temere obligarentur, atque dum effuſo ſermone ſe jactant, in ſui promptum periculum inciderent; ſi enim ex omnibus conventionibus jure, & judicio agere liceret, nullus eſſet finis, aut modus controverſiarum, & litium, cum infinitæ ſint pactiones, & promiſſiones, quæ inter homines fiunt: incommodum enim, & grave nimis, veteres exiſtimarunt Reipublicæ futurum, ſi patrimonia Romanorum, quibus in bello, & pace Reſpublica ſuſtentabatur, paſſim ſine cauſa pactionibus minuerentur, atque omnes cives facile litibus implicarentur; nihil enim perniciofius Reipublicæ, quam copioſa litium ſeges, ut dicemus in c. finem, de dolo, & contum. Quam rationem illuſtrant Duarenus de pactis c. 1. & l. 2. diſp. c. 8. Cujac. l. 10. obſerv. c. 30. & l. 20. c. 14. idem, & Donel. in l. 10. C. de pactis, Forcatul. in necromant. dial. 69. & 97. Treutlerus d. diſput. 6. theſ. 1. Petr. Greg. d. l. 21. ſyntagm. c. 6. Corteſ. l. 1. miſcel. c. 1. Pichardus in §. actionum, quæſt. 27. de actionib. Faber in l. 1. ff. hoc tit. Duarenus in d. l. 1. & ff. hoc tit. alii congeſti ab Oſualdo l. 12. Donel. c. 9. litt. E.

12 Exceptiones prædictæ regulæ.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus ex conventione, ſeu pacto nudo naſcitur. Primus eſt in pactis legitimis, quæ ſcilicet cum ſui natura nuda eſſent, & inefficacia, quia cauſa, & nomine carebant, poſtea lege ſpeciali, aut SC. confirmata ſunt, ut actionem producerent, l. legitima 6. ff. de pactis; quorum exempla varia refert Mendoza l. 2. de pactis, c. 20. ſed ut alia omittam, primum reperitur jure veteri in conventione de futuro matrimonio, ſive ſponſalibus; quæ quamvis olim per ſtipulationem celebrari moris eſſet, poſtea tamen adeo legibus firmata fuerunt, ut etiam nuda promiſſione futurarum nuptiarum promiſſor efficaciter obligaretur, l. 2. 3. & 4. ff. de ſponſalibus. Illuſtrant Cujac. ad tit. C. de ſponſal. Antonius Hothomanus de ritu nuptiar. in princ. Franciſcus Hothomanus de ſponſalibus, cap. 1. Duarenus eod. tract. c. 1. & 2. Aliud exemplum extat in l. quamvis 8. §. ſi cum eſſent 14. ad Vellejan. junctis Mendoza d. c. 10. n. 8. Cujac. tractat. 4. ad African. in l. tutor 19. ff. ad Vellejan, & lib. 26. obſervat. cap. 27. Hothomanus lib. 5. obſervat. cap. 23. Prætor etiam pactum de tradendo pignore fovet data actione honoraria, leg tibi 17. § de pignore, ff. de pact. juncta l. major 13. C. de pignorat. quamvis alioquin pignus non contrahitur niſi traditione rei, l. 1. ff. de O. & A. §. creditor, Inſtitut. quibus modis re contrahitur obligat. item pollicitatio facta reipublicæ ad honorem, obligatoria eſt, l. 1. & 3. ff. de pollicit. vel ſi ex pollicitatione opus ceptum eſt, conſummari debet, ut ibidem dicitur. Juſtinianus etiam in l. ſi quis argentum 35. Cod. de donationibus, pactum, vel promiſſionem nudam de donando, data actione confirmavit. Alios caſus referunt auctores in l. legitima, C. de pactis. Quare Imperator in l. nuda, C. de contrahenda ſtipulat. expreſſe docuit, non ſemper jura permittere Romanorum, ut ex nulla pollicitatione quis conveniatur: ergo aliquando permiſerunt, ut poſt Accurſium obſervavit Cujac. lib. 19. obſervat. c. 32. etſi verba illa non ſemper, inſipide Triboniano aſſignet Giphanius in d. l. 5. Sunt etiam jure novo legitimi pacti exempla. Primum in l. ad exactionem, C. de dotis promiſſ. juncto Fabro l. 12. conject. c. 15. Secundum in l. etiam, ff. de uſuris. Alia exceptio eſt, ſi pactum fuerit appoſitum in continenti in aliquo contractu; quia tunc habetur tamquam pars ipſius contractus, d. l. juris gentium 7. §. quinimo, ff. de pactis: quo modo intelligunt textus in l. fundi 29. ff. de contrahend. emptione, l. 4. §. ult. ff. de pactis, l. ſi ita 35. §. Seja, ff. de V. O. l. lecta 50. ff. de reb. cred. l. venditor 13. ff. communia prædior. l. ſi ſterilis 21. §. ſi tibi, ff. de action. empti, l. Publia 36. §. 1. ff. depoſiti, l. legem 9. l. cum res 22. C. de donation. l. avia 6. C. de jure dotium, l. hereditatem 28. C. de donation. juncto noſtri Licæi communi Præceptore D. Joſepho de Retes lib. 2. opuſc. ſect. 4. c. 1. Alia exceptio eſt in nuda promiſſione in judicio facta; quo caſu procedit textus in l. eum, ff. de in jus vocando, de quo Loriotus de pactis, axiom. 56. Aliæ etiam exceptiones dantur prædictæ regulæ in pactis in judicio factis, aut firmatis ex ſubjecta pœnæ ſtipulatione, ex quibus exponendi ſunt textus in l. fin. C. ad legem Falcid. l. periculi 5. §. 1. ff. de nautico fænore, l. inter 26. § convenit, ff. de pactis dotal. l. naturalis 10. ff. de O. & A. l. fragmenti, Cod. de uſuris, l. ſalarium 7. ff. mandati, l. ſtatuas 41. ff. de acquir. rer. dom. l. atqui in natura 19. ff. de negotiis geſtis, l. & eleganter 7. §. Servius, ff. de dolo, l. ſi mulier 21. §. ſi dos, ff. quod metus cauſa, l. 2. C. de evict. l. 1. C. ſoluto matrim. l. 4. ff. de pignor. l. juſto 44. §. non mutat, ff. de uſucap. l. ſpadonum 15. §. 1. ff. de excuſation. tut. l. eadem 9. §. 1. ff. de duobus reis, l. 3. §. quinimo, ff. de condict. cauſa data, l. Paulus 47. §. patroni filius, ff. de bonis libertor. l. pacto 14. C. de pactis, l. ſi convenerit 18. ff. de juriſd. l. ſi fundus 16. §. ult. ff. de pignor. l. 1. in fin. ff. qui potiores, l. miles 11. ff. ad legem Juliam de adulter. l. quod ſi nolit, §. illud, ff. de petit. heredit. l. 3. C. de ædilit. action. l. 7. mandati, l. 4. ff. de pignor. juncto Fabro lib. 19. conject. c. 6. l. 4. C. de pactis conventis, juncto Fabro eod. l. c. 17. Coſta in l. ſi ex cautione, C. de numer. pecun. l. 18. ff. de juriſd. l. penult. C. de pactis, juncto Cujacio tract. 7. ad Afric. in d. l. 18. l. ſi fundus 16. §. ult. l. Titius 34. ff. de pignor. juncto Fabro decad. 21. errore 2. l. 1. ff. qui potiores, juncto Cujacio ibi, & lib. 10. qq. Papin. in l. 72. de contrahen. empt. l. 9. §. 1. de duobus reis, ubi Cujacius lib. 27. qq. Papin. l. pacto 5. de tranſ. ubi Cujacius lib. 1. diffinit. Papin. l. 7. verſic. Proinde, l. 8. ff. de eo, quod metus, juncto Cujacio ad Papin. de adulteriis, in l. 11. in princ. ff. de adult. l. 31. §. 18. ff. de ædil. edict. l. 56. §. ſi nummos, ff. de fidejuſor. l. quod ſi 11. de religioſ. l. ult. C. ad l. Falcid. l. quod venditor 37. de dolo malo.

13 Pactum nudum nec jure canonico producit actionem.

Et cum prædicta ratio, ob quam pactum jure civili actionem non producit, videlicet ut ſit litium, & controverſiarum finis, etiam militet jure canonico, c. finem, de dolo, & contumacia, c. juris gentium 2. de re jud. hac de cauſa, ſicut jure civili, ita & canonico ex pacto nudo actionem non oriri verius exiſtimo. Nec contrariæ ſententiæ fundamenta obſtant. Non primum deductum ex hoc c. 1. in illis generalibus

bus verbis: Pax ſervetur, pacta cuſtodiantur. Ex quibus deducunt communiter repetens, ex pacto nudo actionem oriri; ſed quam ſine ratione, manifeſte conſtat: nam eiſdem generalibus verbis utitur Prætor in l. juris gentium, §. ait Prætor, ff. de Pactis, ibi: Pacta ſervabo; & etiam refert Imperator l. ult. C. de pactis: quæ verba communiter accipiuntur exceptione data, niſi pacta legitima ſint; quo caſu actione data Prætor tuetur ea: omiſſis traditis a Vaconio l. 1. declarat. c. 21. & lib. 5. c. 63. Morla in empor. 1. p. tit. 3. q. 1. Carond. lib. 1. veriſim. c. 19. Forcatul. dial. 69. Oſuald. ad Donel. l. 12. c. 9. litt. B. Sed ut rebus altiori ſtudio perpenſis veram hujus textus interpretationem aſſequamur, omiſſa Aretini ſententia in §. in perſona, Inſtit. de action. aſſerentis verba illa, Pacta cuſtodiantur; ita eſſe accipienda, ut ſi ſint legitima, & efficaciter actione conceſſa cuſtodiantur, ſi ſint tantum nuda exceptione oppoſita, dicendum eſt, ſuppoſita præſentis textus ſerie ſupra n. 1. relata, nullo modo in ea pactum fuiſſe nudum, ſed obligationem litterarum fuiſſe contractam; ex qua actionem dari notum eſt ex l. non figura, ff. de obligat. & act. l. ſi peculium 4. ff. de peculio, l. ſi vero, §. ſi poſt, ff. mandati, l. nomen 33. l. qui filiam 26. ff. de legat. 3. l. 2. ff. de proxenetis, l. 2. C. arbitrium tutelæ, c. pactum, de verb. ſignific. Seneca l. 3. de benefic. ibi: „ Utinam perſuadere „ poſſemus, ut pecunias creditas tantum abolentibus accipe- „ rent; utinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaſ- „ ſet, & nec pacta conventa impreſſis ſignis cuſtodirentur. „ Cicero l. 4. ep. ad Atticum: Hæc pactio non verbis, ſed no- „ minibus, & præſcriptionibus multorum talibus facta dici- „ tur. “ Cujac. l. 12. obſervat. c. 24. Salmaſius l. 1. de uſuris, c. 6. quamvis nullam obligationem litterarum dari defendant Giphanius in l. 17. C. de fide inſtrument. Bachovius in notat. ad Treutler. volum. 1. diſp. 20. theſi 2. littera, B. Hothoman. ad tit. de litterar. obligat. Unde cum in noſtro textu pactum in ſcripturam redactum fuiſſet, ut conſtat ex illis verbis: Manuſcriptiones noſtræ pictacia tenent; ideo ex hoc pacto actio naſcitur. Alia etiam de cauſa pactum inter Epiſcopos initum in hoc textu actionem producit; nam tale pactum fuit diviſionis Epiſcopatuum: & licet pactum diviſionis nudum ſit, l. diviſionis 45. ff. de pactis tamen ipſa diviſio actionem producit, & ſimilis eſt contractui, l. 1. C. communia utriuſque judicii. Unde plerumque ab heredibus, vel aliis communionem habentibus diviſio fit; quo caſu ſi ſolum fecerunt pactum de dividendo, hoc non proficit ad agendum, d. l. diviſionis 45. l. ſi diviſionem 15. Cod. eod. tit. Synopſis Baſilicon libro 35. titul. 28. & libro 42. titul. 3. Si vero quis ingreſſus eſt poſſeſſionem rei diviſæ, proficit ad excipiendum, ſive excludendum alium ſocium, l. cum proponas 21. C. de pactis, l. ſi diviſionis 15. ff. fam. erciſcund. Quod ſi ex parte ſua implevit, vel uterque traditione hinc inde facta, confirmatur pactum, & naſcitur ex negotio, ideſt ex permutatione, actio præſcriptis verbis: quoniam rebus invicem traditis actio naſcitur, ut in ſpecie probant textus in l. cum pater 77. §. heredes 18. ff. de legat. 2. junctis lege his conſequenter 18. §. idem, lege ſi filia 20. §. ſi pars, lege qua parte 32. lege ultima, ff. famil. erciſc. lege ſi familiæ, 14. lege licet 23. C. eod. tit. lege fratres 7. C. commun. utriuſque judicii. Ut autem olim pactum diviſionis ſtatim firmum maneret, ſtipulatio adhibenda erat, d. l. ſi fratres, l. tale pactum 40. §. poſt diviſionem, ff. hoc tit. l. qui Romæ 122. §. ult. ff. de V. O. ubi Claſſici, Cujacius l. 2. reſponſ. Papin. in l. fin. familiæ erciſc. inde apparet in præſenti caſu Epiſcopo competere adverſus alium Epiſcopum actionem præſcriptis verbis, ut ſerventur conventiones, & pacta.

14 Intelligitur c. 1. de judiciis.

Nec etiam facit pro communi ſententia textus in c. qualiter hoc tit. qui deductus eſt D. Gregorio lib. 8. ep. 38. cui ut ſatisfaciant aliqui, exiſtimarunt, in eo textu promiſſionem fuiſſe legitimam ſtipulationem legitimis verbis factam; quia verbum promiſſio, ſupponit omnia fuiſſe legitime acta: & quando ſcriptum reperitur, aliquem promiſiſſe, præſumitur efficax ſtipulatio, Paulus lib. 5. ſentent. tit. 7. §. verborum, leg. 230. l. Titia 134. §. penul. l. 4. §. ſatis, ff. de verb. obligat. l. pluribus 12. Cod. de fidejuſſor. §. fin. Inſtitut. de fidejuſſor. Docent Barboſa in l. 1. 3. p. n. 46. ff. ſoluto matrimon. Duarenus, Cujacius, & Donellus in d. l. ſecundum 30. Azevedus in l. 2. num. 13. tit. 16. lib. 5. recop. Maſchard. de probat. 3. part. concluſ. 1135. & ſeq. Coſta in l. ſi ex cautione, C. de non numerat. Verum licet hæc ſolutio attento dumtaxat verborum cortice probabilis ſit, ſi tamen ejus integra conſulatur, admitti non poteſt: quare ea omiſſa, Morla d. q. 2. de pactis, n. 14. exiſtimat, in eo textu non agi de pacto nudo, ſed de pacto præſtandi aliquid, quod juſtum, & æquum erat: omiſſa etiam ſolutione Mendozæ d. c. 9. n. 33. qui adducta integra illius textus docet, in prima parte ipſius promiſſionem fuiſſe factam illius rei, ad quam quis tenebatur, & tunc dari actionem, cum ex tali promiſſione, ut efficaci, actio oriatur, l. 1. ff. de conſtit. pecun. in ſecunda vero parte promiſſionem fuiſſe juramento firmatam; in his ergo ſolutionibus refellendis non immoror, ſed illis omiſſis dicendum exiſtimo, in eo textu non decidi, pacta conventa eſſe adimplenda actione præſtita, ſed tantum judicem ſtudioſe curare debere, ut promiſſa adimpleantur; aut officio interpoſito, ut in c. final. de foro competenti, lib. 6. aut denuntiatione Evangelica, ut in cap. novit, de judiciis, quia promiſſa adimpleri provenit ex natura immutabilis juſtitiæ, Proverbior. cap. 5. verſ. 1. unde promiſſio vinculum appellatur, cap. 30. Numer. verſ. 4. Plura Grotius de jure belli, lib. 2. c. 11. inde licet ad promiſſionem nudam adimplendam promiſſor lege, hoc eſt actione, non obſtringatur, Seneca l. 5. de beneficiis. c. 10. ibi: Quæ lex ad id præſtandum nos, quod aliquid promiſimus, obligat, tamen cum ex natura, & æquitate promiſſor teneatur, ſtudioſe curare debet judex eccleſiaſticus, ut promiſſa adimpleantur.

15 Exponitur c. juramenti 22. q. 5.

Nec etiam pro communi ſententia recte expenditur textus in c. juramenti 22. q. 5. nam textus ille dum aſſerit, inter juramentum, & ſimplicem loquelam non eſſe differentiam, intelligendus eſt quoad reatum; ſive enim ſimpliciter quis falſum dicat, ſive juratus, lethaliter peccat; quia ſicut in juramento nulla convenit eſſe perfidia, ita quoque in verbis nullum debet eſſe mendacium, quia utrumque divino judicio damnatum reperitur. Elegans locus, licet auctoris Gentilis, Ciceronis videlicet, in oratione pro Roſcio Comœdo: „ Quæ pœna a Diis immortalibus perjurio, hæc etiam men- „ dacio conſtituta eſt; non enim ex pactione verborum com- „ prehenditur, ſed ex perfidia, & malitia, per quam inſi- „ diæ tenduntur. Aliqui Dii immortales hominibus iraſci, „ & ſuccenſere conſueverunt. “ Unde juramentum, & fides interpoſita coæquantur, c. ad aures, de his, quæ vi videlicet non in totum quoad rationem obligantem, ſed ſaltem quoad implendi obligationem; non enim in genere, ſed in qualitate obligationis eſt differentia. Panormit. in proœmium Decretal. n. 25. Covar. in c. quamvis, 1. part. §. 2. num. 4. licet gravius peccet perjurus, quam mendax; quia iſte tantum homines; ille etiam Deum fallere conatur: perperam ergo gloſſa ibi deducit, generaliter non dari diſcrimen inter pactum juratum, & nudum; ſiquidem contrarium eſſe verum, facile ſuadetur ex eo; nam depoſitio teſtium facta abſque juramento, fidem non obtinet, c. nuper, 51. de teſtib. renuntiatio hereditatis paternæ ſine juramento vires non habet, c. quamvis pactum, de pactis l. 6. alienatio rei dotalis abſque juramento non ſubſiſtit, c. cum contingat, de jurejurand. c. licet mulieres, eod. tit. lib. 6. obligatio uſurarum ob juramenti religionem ſuſtinetur, c. debitores, de jurejur. Unde licet ex promiſſione jurata efficax actio oriatur, l. licet, ff. de liberali cauſa, l. ut jurisjurandi, ff. de operis libertor. Mendoza l. 1. de pactis, c. 4. n. 16. non ita ex promiſſione nuda etiam juramento firmata, ut probant Cujacius l. 15. q. Pauli, in l. ſi quis pro eo 56. ff. de fidejuſſor. Donel. l. 24. c. 8. ubi Oſualdus litt. A, Duarenus ad tit. de jurejur. c. 1. Corraſius in l. admonendi 31. ff. de jurejurand. num. 12. Fachineus l. 3. controv. c. 12.

16 Expenditur c. 1. de judiciis.

Nec etiam noſtræ ſententiæ adverſatur textus in c. 1. de judiciis, cui ut ſatisfaciat Morla in empor. tit. de juriſd. n. 117. aſſerit, in eo textu non nudam promiſſionem, ſed ſolennem ſtipulationem interceſſiſſe, ut conſtat ex illis verbis: Interrogatus promiſerat; & ſic merito actione præſtita compelli Quodvultdeum in judicio comparere. Sed hæc ſolutio ex eo convincitur; nam ſtipulatio alteri per alterum facta non ſubſiſtit, neque per liberam perſonam alteri facta obligatio, & per conſequens actio quæri poteſt, l. ſtipulatio 38. §. alteri, l. inter 83. ff. de V. O. ſed Quodvultdeus in ea ſpecie interrogatus non fuit ab adverſario, ſed ab alio: igitur actio ex ea ſtipulatione dari non poterat. Decius ibi, n. 18. communiter repetentes in eo textu docent, ex pacto nudo jure canonico, licet non civili, actionem oriri. Sed hæc diſtinctio refellitur ex ſupra dictis. His ergo, & aliis ſententiis omiſſis, dicendum eſt ex ſupra adductis, quod licet ex pacto nudo actio non oriatur; illud tamen non procedit, quando quis in judicio, & apud ejus acta comparere, vel quid præſtare promittit; tunc enim ne ſimul parti, & judici illudere videatur, ex eo actio datur, l. eum pro quo, ff. de in jus vocando: quod eo exemplo firmatur, nam mulier, quæ SC. Vellejani beneficio renunciare non poteſt, l. ſi mulier 22. C. ad Vellejan. Donellus d. l. 12. comment. c. 32. ſi renuntiationem in judicio faciat, illa ſuſtinetur, l. fin. §. fin. ff. ad Vellejan. docent Antonius Gomez l. 2. variar. c. 13. n. 18. Covar. in c. quamvis pactum, 2. p. §. 2. n. 4. de pactis in 6.

17 Exponuntur alii textus.

Nec quod de æquitate canonica expendebatur ab aſſertoribus contrariæ ſententiæ, obſtat; nam licet verum ſit, æquum eſſe, ut pacta nuda ſerventur; tamen non omnia, quæ habent æquitatem naturalem, debent adimpleri, & exequi conceſſa actione: quare licet pactum nudum æquitate canonica ſubnixum adimpleri, & cuſtodiri debeat, non tamen ideo actio concedenda eſt, ſiquidem aliis juris remediis paſciſcentes cogi poſſunt pacta ſervare. Nec etiam pro contraria ſententia facit textus in c. 1. de probat. nam pactum, de quo ibi, inter Juſtinianum Imperatorem, & Athanaildum Regem Gothorum conventum, cauſa pacis initum, quod referunt Valdes de dignitat. Regum, lib. 3. c. 18. Mariana lib. 5. hiſtor. c. 9. Saabedra in Corona Gothica, in vita Recaredi, c. 15. non fuit nudum, ſiquidem pacis cauſa, & publice conventum fuit; unde ex eo actio oriebatur, juxta textum in l. conventionum 5. l. legitima 7. ff. de pactis, Oroſcius, & Duarenus in d. l. conventionum, Connanus l. 5. commentar. c. 1. n. 20. Deinde quia pacta debent interpretari juxta communem contrahendi formam, argumento textus in l. quod ſi nolit, §. quod ſi aſſidua, ff. de ædil. edict. ex communi autem uſu conveniendi recte dicemus in d. c. 1. pacta ſolemni ſtipulatione fuiſſe firmata; nam in noviſſima parte pactorum frequenter ſtipulatio apponi ſolet, ut ſi non ex pacto, ſaltem ex ſtipulatione agere liceat, l. juris gentium 7. §. quod fere, ff. de pactis, l. pacto convento, ff. de tranſ. l. duo, ff. pro ſocio, l. Titia, §. ult. l. pluribus, ff. de V. O. l. potens, C. de pactis. Accedit, quia tradi ſolet, omnes conventiones inter Principes factas efficaciter ipſos obligare, quaſi voluntarie ſe ſubjiciant coactioni, ut plus roboris habeat ſimplex illorum pactio, quam aliorum jurata promiſſio. Duaren. in d. l. conventionum. Nec etiam obſtat textus in d. c.

ex

ex reſcript.o, de jurejurand. ubi monachi, qui tamquam ſæculo mortui, & voluntate carentes, non poſſunt civiliter obligari, *c.nolo, c.non dicatis*, 12.*q*.1.*c.monachi*, *c.placuit*, 16.*q*.1. actione conceſſa conveniuntur: igitur quia ex nuda pactione efficax actio naſcitur, ut ex eo textu deducunt, & docent Butrius, & Oſtienſis *in eo*. Sed hac rejecta ſententia verius dicendum eſt, Monachos efficaciter obligari poſſe, præcedente Abbatis licentia, *c.quod 4. de fidejuſſor. c. monachi*, 16. *q*. 1. *c. ex parte, de poſtul.* præcipue ſi utilitas monaſterii adeſt. Unde cum *in d. c. ex reſcripto*, monachi ex conſenſu Abbatis, & in utilitatem monaſterii obligationem contraxiſſent, recte ex ea datur actio, præcipue cum etiam interveniſſet juramentum, quod per ſe actionem producebat.

18 Exponitur c. quicumque 12.q.2. Difficilius eſt Concilii Toletani 4. decretum relatum *in c. quicumque*, 12. *q*. 2. in illis verbis: „ Quicumque Epiſcopi ſuffragio cujuslibet aliquid eccleſiaſticæ utilitatis providerint „ & pro ea quodcumque commodum in remunerationem promiſerint, promiſſi ſolutione eos exſolvere oportere, ita ut „ ad Concilium Provinciale deducta eorum conniventia confirmetur; quia ſicut Paulus ait: Dignus eſt operarius mercedem ſuam accipere. “ Ubi ex nuda pactione efficaciter paciſcentes obligantur, ut ex eo textu deducunt Gloſſa *v.Promiſerunt*, & Turrecremat. ibi. Sed ſi quod proprii ingenii eſt, dicendum exiſtimo, textum illum procedere in promiſſione advocato, vel ſuffragatori Eccleſiæ facta remunerationis gratia, ob obſequium in Eccleſia impenſum; hac de cauſa producit actionem per ſolemnem reſponſionem, ut probat in ſpecie textus *in l.1.C.de ſuffrag.* cujus verba cum hanc ſolutionem mire confirment, tranſcribam: „ Si qui deſideria ſua explicare cupientes, ferri ſibi a quoquam ſuffragium poſtulaverint, & ob referendam vicem ſe ſponſione conſtrinxerint, „ promiſſa reſtituant, cum ea, quæ optaverint, conſequantur: ſi artibus moras nectant, ad ſolutionem debiti coarctandi ſunt. “ Corrigit, & exponit Gothofred. *in ea lege*, quæ extat in Codice Theodoſiano ſub titulo *Si certum petatur, & de ſuffragiis*. Tandem obſervo, ſuffragium in eo textu dici pretium empti officii, honeſtiori nomine, quaſi ſuffragandi cauſa Principi ſolveretur; quo modo accipitur *in l.25. C.Theodoſ. de decurionibus*, *l.fin.§.fin.C. de ſilentiariis*, *l*. 12. *novella 6. quomodo oportet Epiſc.§.& hæc: novella* 8. *ut judices ſine quoquo ſuffragio*: notarunt Alciatus *l.2.paradox.c.*14. Duarenus *lib.2.diſp.c.*20. Oſualdus *l*. 18. *Donelli*, *c*. 11. *litt.P.* Fileſacus *l*. 1.*ſelect.c.*15. Pancirola *l*. 2. *variar.c.*198. Olim enim permiſſum erat interceſſoribus in aula gratioſis, promittere aliquid ob dignitatem conſequendam; quæ promiſſio fiebat per ſolemnem ſtipulationem, ſeu ſponſionem: quod idem ſignificat *in d. l. un.* ut notarunt Cujacius *l*.15.*obſerv.c.*22. Duarenus *ad tit.ſol. matrimon. de ſponſal.q.*1. Fortunius Garcia *in l. legitima 6. de pactis*, *n*. 33. unde cum *in d. c. quicumque*, ex una parte conventio adimpleta eſſet in Eccleſiæ utilitatem, juſte PP. decreverunt, ut promiſſum adimpleatur, cum ea ſit natura conventionis *Facio ut des*, quod altero faciente, alter cogitur dare, *l.naturalis* 5.§.2. *l.ſolent* 15.*ff.præſcriptis verbis*: Docet D. Joſephus de Retes *l*.2. *opuſc.c.*1.*ſect.*1. Suffragium ergo *in d. c. quicumque*, accipitur pro patrocinio, aut auxilio alicujus rei aſſequendæ gratia, ut *in d. l. un. C. de ſuffrag.* apud Lampridium *in Alexandro*, ibi: „ Quod cum factum eſſet, & „ Tharinus ſuffragium promiſiſſet, dixiſſetque ſe quædam Imperatori dixiſſe, cum nihil dixiſſet. “ Et *in c. eccleſiaſticis 67. eadem cauſa, & quæſtione*. Unde recte decreverunt Patres, ut promiſſum præſtetur, illi, cujus ſuffragio Eccleſia aliquid acquiſivit: ſed quia eo tempore Epiſcopi aliquid de patrimonio Eccleſiæ, inconſulto Provinciali Concilio alienare non poterant, ideo in eo textu jubetur; ut ad Concilium Provinciale negotium deferatur, ut ab eo confirmetur.

Nec aſſertoribus contrariæ ſententiæ favet Pontifex *in c. indicante, de teſtam.* ubi legata relicta nudis verbis jubet Pontifex ſolvere, quæ tamquam ex imperfecta voluntate jure civili non debebantur, *l. ſi ex imperfecto, ff. de legat.* 3. *l. hac conſultiſſima, §. ex imperfecto, C. de teſtam.* Nam reſpondendum eſt, legata in eo textu deberi tamquam fideicommiſſa, ut *in l. ult. C. de fideicom.* quia ex ea lege jam eo tempore ſimilia legata præſtabantur; legata enim *in d. c. indicante*, relicta fuerunt ſine ſcriptura, teſtibus, vel alia ſolemnitate, nudis verbis tantum heredem damnando, ut legata præſtaret; quæ verba nuda dixit D. Gregorius ad differentiam voluntatis ſolemnis, quæ cum ſcriptura, teſtibus, & aliis ſolemnitatibus conficitur: ita illum textum accipiunt antiquiores repetentes, & Barboſa in eo. Etiam pro contraria ſententia expendi ſolet textus *in c. relatum, de præb.* ubi proponitur, Archiepiſcopum Cantuarienſem Magiſtrum Joannem in Canonicum inſtituiſſe, & in fratrem, illique promiſiſſe præbendam proxime vacaturam: cum præbenda vacaret, & Archiepiſcopus eam Joanni conferre renuiſſet, conſultus Alexander III. juſſit illi, ut promiſſum adimpleret, præbendam Joanni conferendo: igitur nuda promiſſio, ac ſolemnis vires habet. Huic difficultati ſatisfaciendum eſt dicendo, nudam promiſſionem, ſeu pollicitationem actionem producere, & vires habere, quando facta eſt de re, quam ipſe promiſſor alias tenebatur præſtare. Unde cum ex juris diſpoſitione, qui in Canonicum aliquem accepit, & in fratrem, teneatur illi præbendam aſſignare, *c. conſultationibus, de donat.* Moneta *de commut. c.* 11. *n*. 474. Sanch. *in præcepta*, *l*. 7. *c*. 29. merito in eo textus deciditur, Archiepiſcopum teneri adimplere promiſſum, cum etiam abſque promiſſione teneretur eam conferre: docet Cujac. *in eo textu*.

Manet ergo ex ſupra traditis, jure noſtro canonico ex pacto nudo actionem non oriri, contra communem antiquorum opinionem; non autem inde inficiabimur, promittentem etiam 19 Exponitur c. indicente, de teſtamentis. verbis nudis, teneri ex eodem jure promiſſa adimplere aliis juris remediis, ut officio judicis interpoſito, *c. fin. de foro compet. in 6.* denuntiatione Evangelica, *c. novit, de judiciis*; non autem actione conceſſa. Hodie tamen jure noſtro Regio *ex l. 3. tit. 8. l. 3. ordinam*, quæ eſt lex 2. *tit*. 16. *l*. 5. *recop.* quomodocumque quis promiſerit, efficaciter obligatur: docent pro illius textus interpretatione Didacus Perez *in d. l. 3. ordinam.* Matienzo, & Azevedo *in d. l. 2.* Parlad. *l.2.quot.c.*3. Ant Gomez *l.2.variar.c.*9.*n*.3. Guttier *l.4.pract.q.*68.*ubi ſupra*, §.4. Azev. & Matienzo *in d. l*. 2. Molina *l*.4. *de primog.c.*2. *art*.60. Caſtillo *ubi ſupra*.

C A P U T II.

Gregorius *a* Magnus.

QUoties in *b* conventionibus quibuſdam noſter expectatur aſſenſus, ne in dubium veniant quæ geruntur, ratio ea pro ſecuritate partium debet habita ſolidare. Proinde cognoſcentes quid inter dilectionem tuam, & *c* Fantinum Defenſorem noſtrum, ac Rectorem patrimonii partium *d* Panormitanarum, convenerit de portionibus tibi competentibus in Maſſalenas, & *e* Samanteria in Provincia *f* Siciliæ, & in territorio Panormitano, & domo in Panormitana civitate ſita, quam Eccleſiæ noſtræ dudum titulo *g* donationis obtuleras, noſtrum his accommodamus aſſenſum; atque omnia, ſicut inter vos geſta ſunt, per hujus tuitionis paginam confirmamus, nec quidquam eorum a nobis, ſucceſſoribuſque noſtris deduci in irritum profitemur: quia valde eccleſiaſticæ eſt moderationi conveniens, ut quæ ordinata fuerint, vel deciſa, nulla in poſterum debeant refragatione turbari.

N O T Æ.

a GRegorius Magnus. Addendum eſt *Projectæ illuſtri*, ut habetur in ipſis epiſtolis Gregorii, in quibus *lib.* 7. *indict.* 2. *epiſt.* 61. reperitur præſens textus; & ita legendum eſſe, jam notavit Antonius Auguſtinus *in notis ad primam collectionem, in hoc tit.* Projecta, præclara, ac nobilis perſona erat in Sicilia; quare ſub titulo *Illuſtris*, illi reſcribit Gregorius noſter, ut paſſim etiam legitur in aliis ipſius epiſtolis, conſpicuis, ac præclaris perſonis miſſis.

b *Conventionibus*.) Seu pactis, ut ſic comprehendantur omnes contractus nominati, & innominati, pacta nuda, & legitima: conventio enim nomen generale eſt, omnes ſpecies pactorum, & contractuum complectens, ut dixi *in c. 1. hoc tit.*

c *Fantinum*.) De quo in epiſtola antecedenti, & *l. 8. ep.* 29. & *lib. 10. ep.* 4. & aliis pluribus. De officio Defenſoris in Eccleſia uſitato, aliqua adducam *in cap. 1. de poſtulando*.

d *Partium Panormitanarum*.) Tota enim Sicilia jam ab illis temporibus, in quibus Romani eam occupaverunt, in duas partes dividebatur, in Syracuſanam videlicet ex Syracuſanis, & Panormitanam ex Panormitanis. Cicero *act. 2. in Verrem*, ait *Siciliæ Quæſtores utriuſque provinciæ obtinet*. Refert Thomas Facellus *de reb. Siculis lib.* 1. *c*. 3. & *lib*. 4. *c*. 1. & *lib*. 8. *c. unico*. Hanc diviſionem etiam Eccleſia admiſit, *c. Catanenſis, diſt.* 62. ibi: *Ut nos in provincia illa in Saracuſanis partibus*. Gregorius noſter *l*.12. *ep*.30. ſic Petrum Subdiaconum alloquitur: „ In Panormitana autem parte loci ſervatorem tui me ſufficit elegiſſe, & videre volo, quod ipſe in Syracuſana parte provideris. “ Et *lib*. 10. *ep*. 45. *indict*. 5. Quare Eccleſia Romana duos legatos mittebat in Siciliam, alium Syracuſas, alium Panormum, ut conſtat ex Gregorio noſtro *lib. 7. indict. 1. ep. 59. & 85. & lib. 5. ep.* 20. notavit D. Rochus Pirrho *in notit. Siciliæ, in Eccl. Panorm. pag.* 55.

e *Maſſalenas, Samantaria*.) Sunt prædia, quæ certam penſionem ſolvebant: apud Gallos manſi dicebantur, *c. 1. de cenſ.* ubi dicemus. Maſſarum, ſeu maſſalenarum mentio fit apud Caſſiodorum *l. 12. variar. ep.* 3. ibi. „ Quapropter ex Regia juſſione ſingulos conductores maſſarum, & poſſeſſores validos „ admonete, ut nullam contrahant in concertatione barbariem. “ Et apud noſtrum Gregorium paſſim, præcipue *l.1.ep.* 42. *indict*. 9. ubi legitur Eccleſiam Romanam in Sicilia plures maſſas habuiſſe: & *l.11.ep.22.& l.10.ep.*49. In legibus Longob. *l.1.tit.8.& 29.tit.11.l.3.tit.32.& in c.3. de cenſib.* notarunt D. Rochus Pirro *ubi ſupr. pag.* 70. Lindembrogius *verb. Maſſerius*, Lemaiſtre *l.3.de juribus Epiſc.c.*4. Zerda *in adverſ.c.87.n.*12. Juretus *ad Symmachum*, *l.10.ep.*41. Maſſa aliquando accipitur pro ſolidis debitis fiſco in maſſam redactis, *l.5. C.de Suſcept. Præpoſ.& Arcariis*, *l.2.12.& 13. eod.tit.in Theodoſ.l.7.C.de Palatin.ſacrar.largit.* plerumque pro poſſeſſione, ſeu fundo; inde Geſſiana Maſſa in Anthemii novella *de bonis vacantibus*: Maſſa Veternenſis

nenſis apud Ammian. Marcellin. *l*. 14. Maſſa Largia apud D. Gregorium *l. 6. ep.* 37. Maſſalenas *ep*. 81. & 104. Maſſa diœceſium dicitur in Concilio Carthagin. 3. *can*. 46. In eodem etiam D. Gregor. *l.12.ep.*10. ubi legitur *de jure quodam Patricii*, legendum eſt *Maſſi*: hinc Maſſarii accipiuntur pro colonis agrorum a Rothario Longobardorum Rege *in edicto*, *c*. 47. & apud Petrum de Vineis Maſſarii dicuntur, qui villis præficiebantur, *l. 3. ep.* 66.

f *Provinciæ Siciliæ*.) Ad differentiam provinciæ Panormitanæ.

g *Titulo donationis*.) Ideſt cauſa; titulus enim a tuendo dicitur, teſte Varrone; unde olim milites tituli dicebantur, quia patriam tuebantur. Feſtus Pompejus *verb. Titulus*: late Deo volente illuſtrabo *in c. 2. de præb.* Unde titulus eſt cauſa, quæ defendit poſſeſſorem in detentione ipſius, quare interrogatus cur rem poſſideat? reſpondet, quia emi, quia donatum accepi, alias improba poſſeſſio eſt, *l. improba 7. C. de acq. poſſeſſ.* injuſta, *l. nullo 24. C. de rei vindic.* qui enim ſine titulo rem poſſidet, interrogatus cur poſſideat? reſpondet, quia poſſideo, *l. nec ullam* 13. §. 1. *ff. de petit. hæred. l. 2. C. eod. tit.*

COMMENTARIUM.

7 Concluſio probatur. EX hac Gregorii epiſtola talis deducitur aſſertio: *Permutatio rei Eccleſiæ invalida per ratihabitionem ſuperioris firmatur*. Probant textus *in c. 1. de tranſaction. c. 2. de clandeſt. deſponſ. c. cum nos 3. de his, quæ fiunt a Prælatis, c. vult.* 16. *q*. 1. *c. ſi quis de rebus*, 12. *q*. 2. *c. cura, de jurepatron. l. ſi fundus, §. ſi neſcio, ff. de pignor. l. 5. §. ſed ſi mutua, ff. de in rem verſo, l. ſi quis mihi bona, §. ſi juſſerim, ff. de acquir. hered.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barb. *in præſenti*, Caſtillo *t. 5. controv. c. 89. n.* 113. Suarez *de legib. l.8.c.*18. Riccius *in praxi, ex dec. 24. uſque ad* 103. Redoanus *de rebus Eccleſiæ, q.* 32. & 44. Molina *de juſtitia, diſp.* 468.

8 Proponuntur variæ difficultates. Sed hæc communis aſſertio non leves patitur dubitandi rationes; prima enim inſurgit ex eo, nam nullo Pontificis aſſenſu conventionem ex cauſa permutationis a Fantino defenſore Eccleſiæ Romanæ in partibus Panormitanæ Provinciæ egere, ex eo probatur; nam hujuſmodi defenſores procuratores ſunt Eccleſiæ cum libera adminiſtratione; ſed procuratores cum libera adminiſtratione poſſunt diſtrahere res, vendere, & permutare abſque novo domini conſenſu, *l. qua ratione, §. non ſolum, ff. de acquir. poſſeſſ. l. procurator 58. ff. de procurator. l. libera 40. ff. de peculio, l. ſi convenerit 28. ff. de pignorat. l. ultim. ff. de novationibus, c. ad agendum 4. de procurator. l.* 5. Arnoldus Vinius *l.1. ſelectar. c.* 11. Valeron *de tranſact. tit. 4. q.* 5. licet contrarium obſervetur in procuratore bonorum, *l. procurator 63. ff. de procur. l. procuratorem 16. C. eod. tit.* docent Faber, & Gothofredus *in d. l. procurator* 58. Barboſa *in l. cum autem, §. tranſgrediamur, ff. ſoluto matrim.* Pacius *centur. 2. q.* 47. In procuratore agnoſcunt prædictum diſcrimen, licet in marito diſſentiant, Donell *l. 4. comment. c.* 15. Cujac. *l. 6. Digeſt. Modeſtini in d. l. procurator* 63. Faber *l. 16. conjectur. c.* 22. igitur permutatio a defenſore facta in præſenti caſu abſque ullo Pontificis aſſenſu vires obtinebat. Secunda difficultas ex eo naſcitur; nam ſi deſideraretur aſſenſus Pontificis, maxime ad alienationis ſolemnitatem, & ut Pontifex auctoritatem illi præſtaret, ut regulariter in alienationibus rerum eccleſiaſticarum deſideratur. Sed quoties alicujus auctoritas ad alienationis valorem deſideratur, debet interponi tempore contractus, & ex poſtfacto ſuperveniens nihil operatur, *l. obligari 9. §. tutor 5. ff. de auctor. tutor. §. tutor, Inſtit. eod. tit.* ergo ratihabitio Pontificis in præſenti non poterat validam reddere alienationem a principio invalidam. Tertio in præſentem aſſertionem inſurgi poteſt ex textu *in c. non liceat Papæ* 12. *q*. 2. ubi Symmachus Pontifex ſtatuit, ne liceat Papæ res Eccleſiæ alienare: igitur nec ex auctoritate Pontificis licet res Eccleſiæ alienare, & per conſequens in præſenti ſpecie permutatio, nec ex conſenſu Pontificis ſuſtineri poterat.

9 Res Eccleſiæ alienari non poſſunt. His tamen difficultatibus minime obſtantibus, vera eſt præſens deciſio, ad cujus expoſitionem ſciendum eſt, jam a quarto Eccleſiæ ſæculo prohibitum fuiſſe res Eccleſiæ alienare abſque conſenſu Primatis, & Epiſcoporum comprovincialium; retro enim tribus ſæculis prohibitio hæc alienationis rerum Eccleſiæ non vigebat; ſiquidem Epiſcopi curam earum habebant, & pro neceſſitatibus diſpenſabant, *c. præcipimus, c. videntes 16. 12. quæſt. 1. c. quiſquis 12. quæſt.* 2. plura congerunt Antonius Auguſt. *in epitome juris, lib. 4. tit.* 80. Turrianus *l. 1. pro canonibus, c.* 14. Severinus *in can. 39. Apoſtol.* Robertus *l. 2. rer. judicatar. c.* 3. ſed cum hæc nimia ſolemnitas Eccleſiæ patrimonio damnum attuliſſet, ſiquidem ex defectu conſenſus Primatis, & Epiſcoporum alienationes, quæ plerumque ipſis Eccleſiis utiles ſunt *leg. jubemus 14. §. ſane, C. de ſacroſanct. Eccleſ.* omittebantur, & negligebantur; hæc ſolemnitas immutata fuit in Concilio Charthaginenſi 4. *can*. 32. relato *in cap. 1. de his, quæ fiunt a Prælat.* & loco conſenſus Primatis, & Epiſcoporum, collaudatio, ſeu approbatio Sacerdotum præſcripta fuit: & licet hic canon Carthaginenſis a Gratiano tribuatur Leoni I. *in c. ſine 12. q. 2.* & a Raymundo Gregorio IX. *in d. c. 1. de his quæ fiunt*; tamen ut jam notarunt Vinius *in not. ad Concil. Valent. t. 1. Concil. pag.* 269. Ant. Aug. *in emend. Gratiani, l. 1. dial.* 14. proprius eſt dicti Concilii Carthag. 4. Hanc interdictionem ſuis ſæculis, & legibus firmarunt, varias pœnas adverſus alienatores rerum Eccleſiæ ſanciendo, Leo primus *in c. ſicut 52. 12. q. 2.* Symmachus in Synodo Romana relata *in c. non licet, 12. q. 2.* & in epiſtola relata *in c. poſſeſſionis, 16. qu. 1.* Patres Concilii Agathenſis in canonibus relatis a Grat. *in c. 1. 10. q. 2. c. ſtatuimus* 31. cum quatuor ſequentibus, *c. Epiſcopus 19. c. terrulas 53. 12. q. 2. cap. ſi Epiſcopus 12. q. 5. c. in venditionibus 47. 17. q. 4. c. Clerici, 16. q.* 3. & poſt alios Greg. noſter idem ſtatuit, aliaque neceſſaria ad reſcindendas alienationes contra factas decrevit, ut conſtat *ex l. 1. ep. 66. & l. 3. ep. 16. l. 8. ep. 58. & l. 10. ep.* 33. & ejus ævo, ſexto videlicet Eccleſiæ ſæculo, idem ſancitum fuit in Concilio Hiſpal. 1. *Can*. 1. Toletan. 1. *Can*. 1. & aliis, quæ juxta ſeriem temporum digeſta proponemus in titulo *de reb. Eccleſiæ*.

Secundo ſciendum eſt, inter alias alienationis ſpecies a ſacris canonibus interdictas, commutationem, ſeu permutationem enumerari, *c. ſine 52. 12. q. 2. cap. 1. de his, quæ fiunt a Prælatis, c. 2. de rerum permut. authent. de non alienand. §. nos igitur*: 10 Permutatio eſt alienatio. plura Redoanus *de rebus Eccleſiæ, c.* 2. in permutatione enim negotium agitur, ut res pro re tradatur, *l. 1. ff. de rer. permut. l. naturalis 5. §. 1. præſcript. verb.* ſive ſpecies pro ſpecie, ſive genus pro genere detur, ut docet Pinellus *in rubr. de reſcind. part. 1. c. 1. n.* 10. inter dominos contribuitur, aut inter eos, qui dominorum loco habentur; ſi autem res aliena tradatur, nulla eſt permutatio, *d. l. 1. §. ideoque, ff. de rer. permut.* Merillus *l. 1. ex Cujac. c. 29. & l. 2. c.* 13. unde Rector cum ſit tantum diſpenſator, non vero dominus rerum ſuæ Eccleſiæ, *c. 1. 10. q. 2. c. 2. de donat. d. c. ſine exceptione*, non poteſt permutare res Eccleſiæ cum aliis abſque debita, & præſcripta ſolemnitate. Nec obſtat authentica *ſed & permutare, Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* ubi cavetur, poſſe Imperatorem res proprias cum Eccleſiæ rebus permutare. Quia hæc conſtitutio accipienda eſt intra juris tramites, videlicet adhibita debita ſolemnitate. Illud tantum ſpeciale continet prædicta conſtitutio, videlicet ut voluntas Principis habeatur pro juſta cauſa; & ea interdicente cum ſolemnitate a jure noſtro præſcripta, permutatio vires habeat, juxta textum *in cap. 2. §. hoc jus, 10. q. 2. c. 1. de rer. permutat.*

Tertio ſciendum eſt, alienationem rerum Eccleſiæ a Rectore, ſeu Prælato factam ſine debita ſolemnitate, nullius 11 Alienatio ipſo jure ſubſiſtit. momenti eſſe, remque ita alienatam, cum fructibus eſſe reſtituendam Eccleſiæ, *c. quiſquis 19. c. quidquid 30. c. alienationis 37. c. ſine 52. 12. q. 2. dict. c. 1. de his, quæ fiunt*, ex ratione textus *in c. Vulterana*, ibi: *Quia contra conſtituta Synodi ab Epiſcopis prædia alienari nullo potuerunt commento*; 12. *qu*. 2. Unde competit Eccleſiæ vindicatio ipſius rei cum fructibus, *d. c. non licet, c. ſi quis 6. de reb. Eccleſiæ*, Redoanus *d. tr. de reb. Eccleſiæ, q. 22. n.* 38. Menochius *de arb. caſ. 182. n.* 8. Azor. 2. *tom. mor. l. 9. c. 1. q.* 8. Caſtillo *de uſufruct. c. 54. n.* 8. Riccius *in praxi, deciſ.* 8. Sed cum hæc alienatio nulla ſit favore ipſius Eccleſiæ, ut ejus bona conſerventur, juxta textum ita communiter acceptum *in c. ſi qua 42. 12. q. 2.* poteſt approbare ipſam alienationem, conſenſum præſtando illi, qui jure debebat alienationi conſentire; unde in arbitrio erit Eccleſiæ alienationem ratam habere, vel nullam dicere, ut probatur *ex c. Apoſtolus 13. verſ. Quiſquis, c. precariæ 44. 12. q. 2.* ubi ſupponitur, neceſſariam eſſe contractus reſciſſionem, ut res Eccleſiæ alienata reſtituatur; nam reſciſſio ibi non ad juris effectus, ſed potius ad factum referri debet; quaſi alienatio, quæ de facto præceſſit, de facto quoque revocetur, ut etiam accipitur *in c. non ſolum 7. de appell. in 6. l. ſi dolo 5. C. de R. V.* docent Redoanus *ubi proxime, q. 77. c. 1. n.* 16. Covarruvias *pract. c. 28. n.* 10. Guttierez *l. 2. q. 22. n.* 9. Surdus *de aliment. tit. 8. privil. 56 n.* 8. Mantica *l. 4. de tacitis, tit. 7. n.* 53. Cancerius *l. 1. var. c. 13. n.* 86. Arias de Meſa *l. 1. var. c.* 27.

Ex his jam apparet vera ratio hujus deciſionis. Cum enim 12 Traditur ratio decidendi. Fantinus permutationem rerum Eccleſiæ cum Projecta celebraret, inconſulto R. P. ad quem ut Epiſcopum urbis Romæ ſpectabat conſenſum præſtare huic alienationi, nulla fuit talis commutatio, ex defectu ſolemnitatis: ſed licet a principio vires non haberet, tamen vim ex poſtfacto conſenſu Pontificis obtinuit: & cum in alienationibus rerum Eccleſiæ ſufficiat ratihabitio, ex ſupra traditis, & adductis a Redoano *d. q.* 32. recte decidit in præſenti Gregorius, per conſenſum ſupervenientem validam reddi alienationem a principio invalidam, ex regula *Ratihabitionem, de reg. juris in 6.* Cum enim Pontifex potuiſſet a principio alienationi conſentire, potuit poſtea conſentiendo invalidam validam reddere, & ſi alia ſolemnitas deſideraretur, conſenſus Pontificis omnia ſuppleret, cum ipſe dominus ſit rerum Eccleſiæ, ex ſupra traditis.

Nec obſtat prima difficultas ſupra adducta, verum enim 13 Diſſolvuntur difficultates. eſt, procuratorem non cum generali, ſed cum libera adminiſtratione conſtitutum, res domini diſtrahere poſſe, ſi modo faciat ex bona fide, *l. creditor 60. §. Lucius, ff. mandati, l. qui fundum 7. §. ſi tutor, ff. pro emptore*; ſed defenſores Eccleſiæ Romanæ in Siciliam miſſi non erant procuratores cum libera, ſed cum generali adminiſtratione, & facultate mittendi frumentum; & alias penſitationes Eccleſiæ Romanæ debitas; non autem habebant liberam facultatem diſtrahendi frumentum, vel Eccleſiæ poſſeſſiones. Inde Fantinus Defenſor in Siciliam miſſus non potuit aliquam ex maſſariis ex cauſa permutationis alienare. Nec ſecunda difficultas refragatur; nam omiſſa illa quæſtione, utrum auctoritas tutoris intervenire debeat in ipſo negotio; an vero eo perfecto ſtatim ſequi poſſit, quam pro illuſtratione textus *in l. ſi quis mihi 25. §. juſſu, ff. de acq. hered.* examinant Donel. *l. 3. comm. c.* 13. Faber *in Papin. tit. 12. princ. 6. illat.* 32. Hothoman. *l. 1. amic. c.* 3. Cujac. *l. 13. obſ. c.* 31. dicendum eſt, magnum diſcrimen verſari inter auctoritatem tutoris, quæ deſideratur in alienatione rerum pupillarum, & conſenſum ſuperioris, qui accedere debet alienationi rerum Eccleſiæ, Auctoritas tutoris requiritur in ipſo negotio, ut ſup-

ſuppleat defectum judicii in pupillo; conſenſus autem Prælati deſideratur in alienatione tantum ad ſolemnitatem; unde poſtea ſuperveniens habetur, ac ſi a principio adfuiſſet; conſenſus enim poteſt alienationem præcedere, aut ſubſequi, *d. l. ſi quis mihi* 25. *§. juſſum*, *l. 3. ff. rem ratam haberi*: auctoritas autem deſideratur in ipſo negotio, *d. l. 9. §. tutor*, *ff. de auth. tutor.*

14 Exponitur c. non liceat; 12. q. 2. Nec obſtat textus *in c. non liceat Papæ*, 12. *q.* 2. ſupra expenſus, pro cujus interpretatione plerumque animadvertitur, tam nomen Papæ, quam Pontificis, commune olim fuiſſe omnibus Epiſcopis; & ſic paſſim Pontifex pro Epiſcopo accipitur apud Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, & alios Eccleſiæ Patres, ut plura notantes docent Petrus Greg. *l.* 15. *ſyntagm. c.* 2. *n.* 13. Baronius *anno* 165. *n.* 4. Mendoza *l.* 2. *pro confirm. Concilior. c.* 32. Savarus *ad Sidonium l.* 6. *epiſt.* 1. *verb. Papa*: Ambianas *ad Tertul. de pudic. c.* 13. *obſerv.* 1. & nos *in c.* 2. *de poſtul. Prælat.* Unde ajunt Archidiaconus, & Turrecrem. *in d. c. non licet*, nomine Papæ Epiſcopum ſignificari, & comprehendi. Sed hæc ſolutio refellitur ex ultimis verbis ipſius textus, ubi docetur, eam deciſionem tantum ad Romanam Eccleſiam ſpectare: quare dicendum eſt, Symmachum ejus textus auctorem, eſſe accipiendum de ipſo Pontifice, qui licet poſſit poteſtate abſoluta omnia Eccleſiæ bona quomodocumque diſtrahere, ut docet Redoanus *d. q.* 44. *&* 45. tamen ſecundum leges Eccleſiaſticas, quibus quoad vim directivam ligatur ipſe Pontifex, ut probabimus *in c.* 1. *de probationibus*, non poteſt ſine cauſa eas alienare, aut alienationi conſentire; ſi tamen conſenſum præſtiterit, recta erit alienatio, *c. ad audientiam* 12. *de præſcr. c. per tuas*, *de donat.* & innuitur *in extravag. Ambitioſæ*, *de rebus Eccleſiæ*, ut contingit in alienationes rerum minoris ex reſcripto Principis, ſine decreto facta, *l.* 2. *C. quando decreto non eſt opus*. Peccare autem lethaliter ipſum R. P. ſine cauſa alienationi conſenſum præſtando, docent Sanch. *l.* 8. *de matrim. diſp.* 18. *a n.* 6. In noſtro autem caſu juſta cauſa alienationis præceſſerat a defenſore examinata; quare valide, & licite potuit Gregorius tali permutationi conſentire.

Supradictæ aſſertioni adverſatur textus *in cap.* 2. *§. item ſibi invicem*, 10. *q.* 2. *c.* 1. *de reb. Eccleſiæ*, *c. ad q.* 5. *de rer. permut.* ubi deciditur, poſſe Rectores Eccleſiarum inter ſe invicem bona Eccleſiarum permutare: igitur abſque ullo Pontificis conſenſu potuit Fantinus maſſariam permutare. Etiam difficilis eſt textus *in d. c.* 1. *de reb. Eccleſ.* dum ibi permittitur, ex conſenſu tantum Abbatis rem monaſterii alienari, cum certum ſit, eo in caſu etiam Epiſcopi licentiam deſiderari, *c. Abbatibus* 41. 12. *q.* 2. *c. in venditionibus* 40. 17. *q.* 4. pro iſtorum jurium interpretatione diſcrimen conſtituunt Riccius *in praxi deciſ.* 74. Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 95. *n.* 55. inter permutationes factas inter perſonas eccleſiaſticas, & celebratas inter perſonam eccleſiaſticam, & ſæcularem. Primo caſu aſſerunt, neceſſariam non eſſe Epiſcopi licentiam, juxta jura ſupra adducta: ſecundo vero caſu conſenſum deſiderari, aliterque permutationem factam nullam eſſe, *c.* 1. 10. *qu.* 2. *c. ſive* 12. *qu.* 2. *dicta extravaganti Ambitioſæ*. Sed hoc diſcrimen admitti non poteſt, cum certum ſit, utroque caſu permutationem inutiliter contrahi. Nec etiam contrarium probant textus ſupra citati, nam in permutationibus, de quibus in eis agitur, ſupponendus eſt conſenſus, tam Rectoris Eccleſiæ, quam Epiſcopi, omnemque ſolemnitatem præceſſiſſe. Nec ſecunda difficultas obſtat; nam dicendum eſt, Abbates eſſe in duplici differentia; alii enim ſunt exempti a lege diœceſana privilegio, aut conſuetudine, de quibus egi *in c. grave*, *c. licet de off. ord.* alii vero ſunt ſubjecti Epiſcopis, de quibus *in d. c. Abbatibus*, *c. in venditionibus*, *c.* 1. *de ſupplenda*: unde textus *in d. c.* 1. *de reb. Eccleſiæ*, accipiendus eſt de Abbate exempto, qui cum a juriſdictione Epiſcopi ſit exemptus, poteſt alienationi conſentire; textus vero ſupra citati loquuntur de Abbatibus Epiſcopo ſubjectis, qui per ſe alienationi conſentire non valent. 15 Opponuntur varii textus.

C A P U T III.

a Gregorio b *Januario Epiſcopo Caralitano.*

QUaliter in *c* Sardinia minores, vel pauperes, ab eis, qui illis majores ſunt, opprimantur, reverendiſſimi fratris noſtri *d* Dominici Carthaginenſis Epiſcopi, atque Eminentiſſimi filii noſtri *e* Innocentii Præfecti epiſtolæ teſtantur, a quibus, ut quæ nobis ſcripta ſunt noveritis, ipſarum vobis epiſtolarum exemplaria prævidimus tranſmittenda: & ideo quia ea, quæ nobis petenda ſunt, offeruntur, ſtudioſe agendum eſt, ut ea, quæ *f* promittuntur, opere compleantur. Si qui eorum, de quibus eſt quæſtio, in Eccleſiam fortaſſe refugerint, ita debet cauſa intelligentia noſtra diſponi, ut nec ipſi violentiam patiantur; nec ii, qui dicuntur oppreſſi, damna ſuſtineant. Curæ ergo veſtræ ſit, ut eis *g* ſacramentum ab his, quorum intereſt, de ſervanda lege, & juſtitia promittatur, & per omnia commoneantur exire, atque ſuorum actuum reddere rationem, quibus etiam Eccleſiæ veſtræ *h* defenſorem deputare vos convenit, cujus ſolicitudine, quæ illis fuerint *i* promiſſa, ſerventur quatenus nec aliis noxia ſint, & ipſis eccleſiaſtica, ſalva ratione, poſſint prodeſſe refugia. Ita ergo fraternitas veſtra faciat, ut hæc, quæ ejus ſtudio emendanda ſunt, mora per eam, vel impedimentum aliquod non contingat.

N O T Æ.

1 a GRegorius.) Ita reſtituo epigraphen, & integram hujus textus ex D. Gregorio *l.* 8. *indict.* 3. *ep.* 38. De ipſo Gregorio Magno nonnulla retuli *in c.* 2. *de conſtit.*

2 b *Januario.*) Januarius patria Calaritanus, Archiepiſcopus fuit ipſius civitatis temporibus Gregorii magni, cujus valde familiaris fuit, ut refert, & plura ab eo geſta tradit Dioniſius Bonfant. *in hiſtor. Sanctor. Sardiniæ*, *l.* 13. *c.* 31. Illi varias ſcripſit Epiſtolas, ut conſtat *ex l.* 1. *ep. Greg. ep.* 60. 61. *&* 62. *&* 81. *& l.* 3. *ep.* 8. 9. *&* 10.

3 c *Sardinia.*) Eſt nobilis inſula Italiæ Provinciæ, aliquando a propriis Regibus gubernata. Theodorus Zincerius *t.* 3. *l.* 3. *Sardis quoque curru vehi, & erectam ferre thiaram, ſolis Regibus dabatur*. Triſtis cælo, & multa vitiata palude dicitur a Silio Italico *l.* 12. peſtem facere ſcribit Solinus *Polyſt. c.* 10. peſtilens vocatur a Victore *de viris illuſtribus c.* 65. inde ratio cur olim Judæi ſub Tiberio mittebantur in Sardiniam, ut ibi perirent. Tacitus *l.* 2. *annal. in fine*: quare argute dictum a Martiali *l.* 4. *epigr.* 60. *Cum mors venerit, in medio etiam Tibure Sardiniam eſſe*. Inter Africæ Provincias enumeratur *in l.* 1. *C. de officio Præfecti Africæ*, *l.* 3. *C. Theod. de pœnis*, *l.* 7. *de exactionibus*, *eod. C. l.* 3. *ad legem Jul. repetundar.* Plura de ejus origine tradunt Berterius *diatr.* 1. Bonfat. *ubi ſup.* & Viccius *in hiſt. ipſius inſulæ*.

4 d *Dominici.*) Qui in collatione adverſus Donatiſtas in Concil. Carthaginenſi ſubſcripſerat. Baronius *an.* 544.

5 e *Innocentii Præfecti.*) Qui etiam ſcripſerat D. Gregor. *l.* 9. *ep.* 1. Ad hujus Præfecti Prætorio Africæ expoſitionem ſciendum eſt, Africam occupatam fuiſſe a Vandalis anno 439. ut referunt Iſidorus *in hiſtor. Vandal.* Victor Uticenſis *l.* 1. *de perſequut. Vvandal.* Baron. *in prædicto anno*: unde rebus Italiæ in ea parte declinantibus, Præfectum proprium non habebat, ſed a Præfecto Italiæ regebatur: ſed cum iterum recuperata eſſet a Beliſario tempore Juſtiniani, anno 534. ut refert Procopius *l.* 1. *de bello Vvandal.* ex eo, & aliis refert Baron. *in Prædicto anno*, Præfectum Prætorio Africæ reſtituit, *l.* 1. *C. de officio Præfecti Africæ*: de cujus dignitate, officio, & ſcholis videndi ſunt Pancirol. *l.* 2. *var. c.* 188. Jacobus Gutherus *l.* 1. *de officiis domus Auguſtæ*, *c.* 8. Statuit autem Juſtinianus, ut Præfectus ſedem haberet Carthagine, *d. l.* 1. quia Præfecti Prætorio in Metropolitanis civitatibus degebant, ut tradit Berterius *diatrib.* 1. *c.* 8. Hujus Præfecti mentio fit a Gregorio *in præſenti*.

f *Promittuntur, opere compleantur.*) Nihil enim fidei humanæ ita congruum eſt, quam ea, quæ inter aliquos placuerunt, ſervare, *l.* 1. *ff. de conſt. pecuniæ*. Unde ait Paulus *in l. cum amplius*, *ff. de reg. juris*, cum natura debere, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſequuti ſumus. Quare in ſacris litteris ſæpius repetitum legimus, Deum ipſum Optimum Maximum, qui nulla lege obſtringi valet, contra naturam ſuam facturum, niſi promiſſa præſtaret. D. Paulus *ad Hebræos c.* 7. *verſ.* 18. *& c.* 10. *v.* 23. *&* 1. *ad Corinthios c.* 1. *verſ.* 19. *& c.* 20. *v.* 13. *&* 1. *ad Theſſal. c.* 5. *verſ.* 24. *&* 2. *ad Titum c.* 2. *v.* 13. Facit Salomonis ſententia *Proverb. c.* 5. *v.* 1. *Fili mi, ſi quid ſpopondiſti alteri, defixiſti externo volas tuas, illaqueatus es verbis oris tui, captus es enuntiationibus oris tui*. De his promiſſionibus Seneca *l.* 5. *de beneficiis*, *c.* 11. ajebat; *Quæ lex ad id præſtandum nos, quod alicui promiſimus, obligat*. Plura Grotius *de jure belli l.* 2. *c.* 11. Mendoza *l.* 1. *de pactis*, *c.* 4. Donel. *l.* 12. *commen. c.* 8. Galbanus *de V. S. cap.* 16. Vviſembachius *diſp. jur. diſp.* 31. *n.* 11. 6

g *Sacramentum.*) Ideſt juramentum, *c.* 1. *de feriis*, ubi dicemus.

h *Defenſorem.*) Defenſores enim primis Eccleſiæ temporibus dabantur minoribus, ſeu pauperibus adverſus oppreſſiones majorum. Conc. Carthag. 5. *can.* 9. „ Decreta eſt legatio ad Imperatores propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia, ut defenſores ei adverſus potentias divitum cum Epiſcoporum proviſione delegentur. „ De defenſore in Africa conſtituto agit Poſſidius *in vita S. Auguſtini*, *c.* 12. notavit Balſamon *in can.* 78. *Synodi Carthagin.* Alii ſunt defenſores politici, de quibus *in tit. C. de defenſor. civitatum*, de quibus plura tradunt Baronius *an.* 286. *n.* 4. Meurſius *in gloſſar. verb. Defenſor*, Benedictus Haæphtenus *in vita ſancti Benedicti*, *cap.* 26. Chriſt. Lupus *in can.* 23. *Concil. Chalced.* 7

i *Promiſſa ſerventur.*) Ex his verbis deducunt communiter DD. jure noſtro Canonico ex pacto nudo actionem oriri: ſed contraria ſententia retenta, hæc verba expoſuimus *in c.* 1. *hoc tit.* 8

CA-

C A P U T IV.

a Alexander *Exonien. & Vvigonien. Epiſc.*

CUm pridem S. P. clericus procurator Prioris, & monachorum de *b* Acra, & P. clericus pro cauſa, quæ inter eos, & prædictum P. ac fratrem ejus, cujus vicem ſe gerere *c* dicebat, ſuper Eccleſia, & capella de L. vertebatur, ad noſtram præſentiam acceſſiſſent, inter ſe, non tamen nobis mediantibus convenerunt, quod eidem P. pro expenſis, quas fecerat tres *d* marchiæ argenti ſolverentur, & idem P. liti cederet, & a monachorum infeſtatione ceſſaret. Cumque compoſitionem iſtam auctoritate Apoſtol. peterent confirmari, nos eam non duximus admittendam pro eo, quod videbatur pravam illicitæ pactionis ſpeciem continere. Monuimus autem prædictum P. ut ipſe, tam pro ſe, quam pro ſuo fratre monachos in pace dimitteret; & eidem liti omnino abrenuntiaret. Ille igitur noſtris monitis acquieſcens, & eidem liti pro ſe, ac fratre ſuo renuntians, authentica inſtrumenta, quæ ſuper hoc habebat, in noſtris manibus reſignavit, quæ nos Priori, & Monachis deſtinantes mandavimus, ut eidem P. & fratri ejus in aliquo ſtuderent beneficio providere, de quo majus lucrum valeant Apoſtolica interceſſione percipere, quam eis deberet ex illa pactione illicita provenire. Ceterum, quia Prior, & fratres acquieſcere noluerunt, mandamus quatenus moneatis eoſdem, ut præfato P. & fratri ejus competens beneficium conferant, & aſſignent: alioquin ſi vobis conſtiterit, dictos clericos a prænominata Eccleſia, & capella abſque ordine judiciario violenter ejectos, ipſas eiſdem reſtitui faciatis, non obſtantibus litteris noſtræ confirmationis, quas prædicti Prior & monachi a nobis impetraſse noſcuntur.

N O T Æ.

1 a ALexander.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 4. & poſt Concilium Lateranenſe *p.* 28. *c.* 4. De Eccleſia Exonienſi egi *in c.* 6. *de filiis Presbyt.* de Vvigornienſi *in c. noſti*, *de elect.*

2 b *Acra.*) Alias *Ægra*, eſt monaſterium Eccleſiæ Anglicanæ.

3 c *Dicebat.*) Cum enim frater eſſet, & conſors litis, non egebat ſpeciali mandato ad agendum, *c. conſtitutus*, *de in integ. reſtitut.* docent Covarr. *l.* 1. *variar. c.* 6. Marcha *de juriſd.* 2. *p. c.* 30. Vega *in c.* 2. *de foro compet. nu.* 52. Morla *in empt. tit.* 7. *q.* 5. Carleval *de judiciis*, *l.* 1. *tit.* 1. *diſp.* 2. *a n.* 144.

d *Tres Marchæ.*) Argenti marcha non ejuſdem valoris eſt apud omnes, nam apud nos Marchus Coloniæ habet octo uncias; ſimiliter etiam & marchus Trojæ, *l.* 1. *tit.* 13. *l.* 5. *recopilat.* de quibus, & eorum valore agunt Covarruvias *de veterum numiſmatum poteſt. c.* 5. *n.* 1. Villaſant. *in ſuo Quilatador de oro, y plata*, *l.* 1. *c.* 1. Georgius Heniſchius *de aſſe, & partibus ejus*, *pag.* 103. Marcha in Gallia continet 70. coronatos, ut ipſe refert *pag.* 204. in Anglia pendebat tres aureos nummos, quos Angli ducatos appellant. Polydorus Vergil *l.* 10. *hiſtoriæ Angliæ*, *pag.* 164. unde in tribus marchis promiſſis in hac deciſione comprehenduntur novem nummi.

Ad hunc textum fuſam dedit repetitionem Primarius noſter D. Joannes de Balboa, qui pro ejus expoſitione adeundus eſt.

C A P U T V.

Idem a *Eboracenſi Archiepiſcopo.*

ACcepimus, quod quædam Eccleſiæ clericis ſunt tali tenore conceſſæ, quod poſt eorum obitum alii nominatim ſuccedant. Verum quoniam hoc iniquum eſt, & ſacris canonibus inimicum, & ideo non debet aliquatenus tolerari; f. t. per A ſ. præc. mand. quat. hujuſmodi ſucceſſiones tam deteſtabiles, & iniquas, & contrad. & appell. fieri prohibeas, & omnino frivolas, & vanas eſſe decernas.

N O T Æ.

1 a EBoracenſi.) Poſt Concilium Lateranenſe *p.* 28. *c.* 4. legitur, *Epiſcopo Dunelmenſi*: in prima autem collectione, ſicut in iſta, legitur *Eboracenſi Epiſcopo*, & rectius, ut notavit Antonius Auguſtinus *in eo*, qui animadvertit præſentem deciſionem potius ſpectare ad titulum de inſtitutionibus, quam ad præſentem rubricam: ſed cum in eo proponatur pactum circa ſucceſſionem in beneficio initum, non impropric compilatur a Raymundo *ſub hoc tit.* Pactum autem in præſenti ſpecie præceſſiſſe, docent, & ſupponunt Butrius, Panormitanus, & alii antiquiores *in præſenti*, quorum opinio ſuadetur ab uſu Eccleſiæ Anglicanæ, ubi temporibus Alexandri III. ſucceſſio in beneficiis eccleſiaſticis facile admittebatur, ut notavi *in tit. de filiis Presbyterorum*.

COMMENTARIUM.

2 Concluſio deducitur. EX hoc textu omnes claſſici repetentes deducunt, *non valere pactum de ſuccedendo poſt mortem Prælati ipſius Eccleſiæ*. Quæ concluſio ſingularis eſt in jure; quatenus vero prohibet ſucceſſionem in eccleſiaſticis beneficiis, eam probant textus adducti *in c.* 2. *de filiis Presbyterorum*, & qui communiter expenduntur *in c.* 1. *de præbendis*. Eam illuſtrant Duarenus *l.* 6. *de ſacris Eccleſiæ*, *c.* 1. *per totum*, Pet. Gregor. *de beneficiis c.* 30. *num.* 1. Garcia *eod. tract. p.* 10. *c.* 1. *num.* 1. Corraſius *eod. tr.* 2. *c.* 7. *num.* 1.

3 Impugnatur prædicta aſſertio. Sed hæc Alexandri deciſio impugnatur ſequentibus argumentis. Primum ex eo naſcitur; nam pactum iniri valet non ſolum de rebus, quæ præſentes ſunt, verum & de illis, quæ ſperantur, ut de fructibus naſcituris, de partu ancillæ, de fœtu pecoris, quæ licet non ſint, tamen ſperantur, *l. nec emptio* 8. *l. ſi emptione* 34. *§. liberum*, *ff. contrahen. emptione*, *l. & quæ nondum* 15. *ff. de pignoribus*, *l. quod in rerum* 24. *ff. de legat.* 1. *l. etiam* 17. *ff. de legat.* 3. *l. cum illud* 25. *§.* 1. *ff. quando dies legati*, *l. interdum* 73. *ff. de verbor. oblig.* igitur & ſuper ſucceſſione in jure alterius, ſeu viventis beneficio paciſci valet. Secundum militat ex eo, quia pacta ſemel inita ſervanda ſunt, *l. convenire*, *ff. de pactis*, *l. pacta* 72. *de contrahen. empt.* & ſicut ab initio paciſci voluntatis eſt, parere conventus eſt neceſſitatis, *l. frater*, *C. de tranſact. c.* 1. *&* 3. *hoc tit.* igitur pactum de ſuccedendo in beneficio alterius obſervandum eſt. Tertium, & difficilis inſurgit; nam hoc pactum de ſuccedendo in beneficio viventis, poſſeſſore defuncto, non ſolum jure noſtro permiſſum eſt, verum & introductum, & a ſanctis PP. uſitatum; in Africana enim Eccleſia, ſedato ſchiſmate Donatiſtarum, cum poſt collationem Donatiſtæ ad fidem Catholicam redirent, ſtatutum fuit in Concilio Africano, ut Epiſcopus Catholicus in locum Donatiſtæ ſuffectus, & ipſe Donatiſta rediens Eccleſiam regerent, diviſione ita facta, juxta textum *in c.* 1. *de Parochiis*; & altero prædefuncto, alius in ejus locum ſuccederet. Refert D. Auguſtin. *in breviculo collationum*, *c.* 5. Idem in Hiſpania ſtatutum fuiſſe cum Epiſcopis Arrianis ad fidem reverſis, tradit Mendoza *l.* 1. *Concil. Illiberit. c.* 11. igitur conventio; per quam ſucceditur in viventis Eccleſia, aliena non eſt ab Eccleſiaſtica diſciplina.

Adhuc tamen Alexandri III. deciſio defendenda eſt, quæ validiſſimis nititur utriuſque juris rationibus. Prima ne pactum circa viventis ſucceſſionem admittatur, quod tot legibus improbatum reperitur *l. ſtipulatus*, *ff. de V. O. l. pactum quod dotali* 15. *C. de pactis*, *l. ex eo* 4. *C. de inſtitution. l. hereditas*, *C. de pactis conventis*, *leg. licet*, *leg. fin. Cod. de pactis*, *l. epiſt.* 52. *§.* 1. *ff. eodem tit. l. litteræ* 17. *ff. de jure codicill. l. ſi majores* 25. *l. cum donationis* 34. *Cod. de tranſact. l. donari* 29. *§. finali*, *ff. de donat. l. cum duobus* 52. *§. idem*, *ff. pro ſocio*, *l.* 2. *in fin. ff. de his, quæ ut indign. l. ex eo* 4. *Cod. de inutil. ſtipul.* probant, & diſputant Bronchorſt. *centur.* 1. *aſſert.* 30. Hartmandus Piſtor. *l.* 1. *q.* 1. *cum ſequent.* Beſold. *in delibat. juris ex l.* 2. *Pandect. lit. de pactis*, *§.* 28. *fol.* 221. Valentia *tom.* 1. *illuſtr. tract.* 3. *c.* 2. Santaloria *interpret.* 14. Robertus *l.* 1. *rerum judic. c.* 15. Caſtillo *l.* 3. *controv. c.* 9. Cabedo *deciſion.* 164. Franzchiz *exercit.* 8. *q.* 10. Fachineus *l.* 8. *controv. c.* 84. Molina *de primog. l.* 2. *c.* 6. Caldeira *l.* 2. *de erroribus*, *cap.* 7. Drecherus *differt.* 1. *&* 7. Pinellus *l.* 1. *ſelect. c.* 10. Sarmiento *l.* 2. *ſelect. c.* 4. Sanchez *leg.* 7. *de matrim. diſput.* 2. Viglius *in §. igitur*, *Inſtituta de pupillari*, Hunnius *ad Treutler. volumine* 2. *diſp.* 20. *quæſt.* 4. *& l.* 3. *variar. c.* 16. Pet. Gregor. *l.* 41. *ſyntagmat. cap.* 4. *cum ſequentibus*, Morla *in empor. titul.* 3. *quæſt.* 5. Merend. *leg.* 1. *controv. cap.* 17. *cum ſequentibus*, Fachineus *lib.* 5. *controverſ. cap.* 84. Corraſius *l. unic. epiſtol.* Anton. Gomez *in l.* 22. *Tauri*, Menchaca *illuſtr. c.* 43. Pacius *centur.* 5. *qu.* 11. Raguellius *in leg. ult. C. de pactis*, Cujacius *in leg.* 2. *§. fin. ff. de his, quibus ut indign. in l. donari* 29. *§. ult. ff. de donation.* Faber *de error. decad.* 12. *error.* 2. *cum ſeqq.* Schifordeger. *l.* 1. *tr.* 29. Pichardus *de acquir. hered. c.* 8. *nu.* 17. Sichardus, Cagnolus, & Donellus *in d. l. ult. C. de pact.* Arnoldus Vinius *de pactis*, *c.* 19. collega noſter Don Joannes de Larrea *deciſ.* 52. *Granat.* 21. viventis enim ſucceſſio non datur, nec hereditas, *l. qui hereditatem* 19. *l. neminem* 27. *l. qui ſuperſtitis* 94. *ff. de acquir. heredit.* inde de ea agi non poteſt; quomodo accipiuntur textus *in l.* 1. *ff. de heredit. vel action. vend. l.* 1. *ff. pro heredit. l.* 1. *§. ſi impuberi*, *ff. de collat. bonor. l.* 2. *§. interdum*, *ff. de vulgar. l. his qui* 25. *§. an nominatim*, *ff. de acquir. hered. l. ita tamen* 27. *§. a patre*, *ff. ad Trebell.* licet in contrarium ſoleant expendi textus *in l.* 1. *ff. quando dies legati*, *l. qui patri* 59. *ff. de acq. hered. l.* 1. *§. ſi libertus*, *ff. ſi quid in fraudem patroni*: merito ergo quod in rerum natura non eſt, neque ſuperari licet, in pactum deduci non poteſt: deinde quia ſi pactum hoc ſervaretur, daretur occaſio captandæ mortis alie- 4 Pactum de hereditate viventis improbatur.

alienæ ; nam cum paciſcens per pactum ſibi ſucceſſionem, aut beneficium deberi cognoſceret, ejus vitæ inſidias apponeret, aut pareret, *ex l. cum pater* 77. *§. mando, ff. de legat.* 2. quam rationem adducunt Legiſlatores Eccleſiæ *in c.* 1. *&* 2. *de conceſſ. præbend. cap. in primis*, 2. *q.* 1. *c. non furem, c. eum qui* 7. *q.* 1. & Imperatores *in l. de fideicommiſſo* 11. *C. de tranſact. l.* 33. *tit.* 11. *partit.* 5. quas pactiones odioſas, & triſtiſſimi eventus plenas appellat Juſtinianus *in l. fin. C. de pactis*: unde ut hujuſmodi inſidiæ vitarentur, lege Cornelia pœna impoſita fuit illis, qui vivi teſtamentum aperuiſſent, *l.* 2. *§. his qui aperuerint, ff. ad legem Cornel. de falſis, l. ſi quis* 38. *§. qui vivi, ff. de pœnis*; & ea de cauſa quamvis unicum teſtamentum ſit patris, & pupilli; tamen permittitur patri ſeparatim filiis ſubſtitutionem facere, proprio ſigno claudere, & cera conſignare, ne ſubſtitutus ſciat ſe ſubſtitutum pupillo datum eſſe, *§. fin. de Inſtit. vulgar.* vel inſidias apponat, ut contigit *in l. Cicero, ff. de pœnis*, & aliis exemplis relatis a P. Greg. *d. c.* 4. Recte igitur in præſenti docetur, pactum de ſuccedendo in beneficio alterius, vires non habere.

5 *Exponuntur varia jura.* Sed licet pactum ad acquirendam viventis hereditatem non admittatur, tamen ad eam conſervandam initum ſuſtinetur *l. ſi ab eo, C. de legitim. tutor. l. fin. C. de emancip. liber.* Unde licet pater emancipando filium contracta fiducia id agat, ut hereditas ad ipſum pertineat, *§. ult. Inſtit. de legat. agnator. ſucceſſ.* tamen admittitur ad ipſam. Similiter ſuſtinetur ſtipulatio, quæ in adrogatione interponitur, ut ſi impuberi hereditas obvenerit, reſtituatur venientibus ab inteſtato, *leg. non alter, ff. de adoptione l. cauſa cognita* 40. *ff. de vulgari*. Etiam valet pactum in diſtractione ſervi appoſitum, ut ſi hereditas illi obvenerit, reſtituatur venditori, *leg. ſi quis ſervum, ff. de action. empt.* Et ſimiliter quia ceſſat ratio ſupra adducta, valet pactum de hereditate defuncti dividenda; quo modo accipiendi ſunt textus *in l. qui Romæ, §. fin. ff. de verb. oblig. l.* 1. *C. de pactis, l. qui res* 29. *ff. de act. empti, l. hæc* 14. *ff. ut legatorum, l. ſi conſtante*, 24. *§. ſi vir, ff. ſoluto matr. l. Paulus, §. patroni filius, ff. de bonis libertor.* etiamſi nondum delata ſit hereditas; quo modo intelligendi ſunt textus *in l. nam hoc* 11. *ff. de heredit. vel action. vendit.* ubi docetur, hereditatem in ſuſpenſo exiſtentem vendi poſſe; accipiendus eſt enim textus de hereditate ſub conditione relicta, pendente enim conditione vendi poteſt, & pactum circa illam factum cuſtoditur. Et text. *in l.* 2. *§. illud* 2. *ff. eod. tit.* ubi propoſuit Ulpian. heredem a patre inſtitutum, eumdemque filio pupillariter ſubſtitutum, partis jam defuncti hereditatem vendidiſſe; quæritur utrum pupilli hereditas vendita quoque intelligatur? Et reſpondetur, venditam non credi, quia alia hereditas eſt. Proſequitur Conſultus, & ait, quod ſi actum ſit, ut ea etiam hereditas in venditionem veniat, venditam intelligi maxime ſi jam delata eſt: igitur etſi delata non ſit, quia adhuc in rebus humanis non erat, recte in venditionem deducitur. Huic difficultati frequenter reſpondetur, verbum illud *maxime*, Conſulti ſententiam reſtringere, ut *in l. ſi mihi* 34. *ff. de donat. inter, leg. ſi ſervus* 27. *§. ſicut maritus* 30. *leg. mulier* 56. *ff. ad leg. Aquil. l. fin. ff. de novation. juncta l. Lucius* 21. *ff. de jurejur. l. uſucapion.* 9. *ff. de uſucapion. juncta l. ſervus* 43. *§. incorporales, ff. de acq. rer. domin.* Caldeira *de error. pragm. c.* 1. *n.* 4. *& in d. §. filio*, ait illam dictionem *maxime*, taxationem inducere, ut eum caſum tantum complectatur, quo jam delata ſit: notant Cujac. *in d. l. donari* 29. *§. fin.* Faber *in rationali ad text. in dict. §. illud*, Bronchorſt. *d. aſſert.* 30. P. Greg. *d. lib.* 41. *ſyntagm. c.* 5. *n.* 6. Raguell. *in d. l. ult.* Tuldenus *ad tit. Cod. de pactis, num.* 6. Sed hac omiſſa ſolutione dici poteſt, Ulpian. *in d. §. tantum*, affirmare, impuberis hereditatem venditam intelligi, maxime ſi jam delata ſit: hæc conſequentia recte deducitur; igitur etiamſi nondum delata ſit, vendita intelligitur. Supponendum tamen eſt, pupillum deceſſiſſe: quare licet propter conditionem adjectam hereditas delata non ſit, tamen ſpes illa vendi poteſt. Docet Donell. *in d. l. num.* 6. Pacius *centur.* 5. *quæſt.* 11. Etiam de incerta hereditate paciſci valet, ut in ſpecie textus *in l.* 3. *§. de illo, ff. pro ſocio*; quem ita accipiant Raguel. Donel. & Gilkenius *in d. l. ult. C. de pactis*, Gothofred. & Faber *in d. §. de illo*, Hunnius *d. lib. var. q.* 13. juxta quæ juris principia accipiendi, & exponendi ſunt text. *in l. ſi conſtante* 24. *§. ſi vir l. ſi vero*, 64. *ff. ſolut. matrim. l. ult. ff. de legatis* 3. *leg.* 1. *§. ſi impuberi, ff. de collat. bonor. l. hæc* 14. *ff. ut legat. nom. l. nam qui* 56. *§. fin. ff. ad l. Falcid. l. littera, ff. de jure codicill. l. ep.* 52. *ff. de pactis, l.* 4. *C. de inutil. ſtipul. leg.* 1. *§. ſi parens, ff. ſi quis a parent, l.* 4. *ff. de condit. inſtit. l. donari* 29. *§. donationem, ff. de donat. l. licet* 19. *C. hoc tit. l. ſi quis ſervum* 23. *ff. de actionibus empti, l.* 34. *C. de tranſact.*

6 *Traditur alia ratio deciſionis.* Sed ut unde digreſſi ſumus, regrediamur, alia ratio hujus deciſionis provenit ex ſucceſſione in beneficiis eccleſiaſticis, a ſacris Canonibus inhibita, & improbata, ut probavi *in c.* 2. *de filiis Presbyter.* & Deo volente plura dabimus *in cap.* 1. *de preben.* quare etiam conſentiente beneficii poſſeſſore pactum conventum de ſuccedendo in ejus beneficio improbatur: quia poſſeſſor beneficii non poteſt etiam abſque pacto ex propria voluntate, & diſpoſitione deſignare ſucceſſorem in proprio beneficio, *c. deteſtanda, de conceſſione præbendæ, l.* 6. *c. ſi Petrus, c. Apoſtolica, & per totam* 8. *q.* 1.

7 *Diſſolvuntur argumenta contraria.* Nec obſtant argumenta ſupra in contrarium adducta; nam licet in aliis negotiis, & rebus ſufficiat ſpes, ut pactum ſuper eis celebrari poſſit; tamen in ſucceſſione, aut hereditate deſideratur, ut actualiter ſit hereditas, ut circa eam pactum conventum ſuſtineatur, *l. cum hereditas* 14. *ff. de hered. vel act. vendit.* Ratio eſt, quia cum dicimus, ſpem eſſe in conſideratione, ut vendi, donari, hypothecæ nomine obligari, paciſcive de ea poſſit; intelligendum eſt de ſpe licita, & approbata, non vero de ſpe bonis moribus contraria: igitur cum ſpes alienæ hereditatis ſit illicita, & improbata, propter votum captandæ mortis alienæ, *leg. donari* 29. *§. fin. ff. de donat. d. leg.* 2. *§. interdum, leg.* 1. *§.* 1. *ff. ubi pupillus*; merito non venit in conſideratione, ut de ea paciſci valeat. Nec ſecundum argumentum adverſatur; ejus enim principium procedit, quando pactum non continet aliquid contra bonos mores, ut pactum, de quo in hoc textu: quia tale pactum non ſuſtinetur. Nec tandem obſtat tertium argumentum deductum ex Eccleſiæ uſu cum Donatiſtis, & Arrianis; nam ut dixi *in cap. quoniam, de offic. Ordinarii*, ſpecialiter ut Donatiſtæ, & Arriani allicerentur ad abjurandas hæreſes, ſtatutum fuit, licet contra juris regulas, ut uno, eodemque tempore duo Prælati eſſent in eadem Eccleſia; & alter alteri decedenti ſuccederet, ut ſic lapſi converſi Eccleſia ſua non privarentur, & Catholici inſtituti abſque Eccleſia non manerent: docent Mendoza *ubi ſupra, pag.* 12.

C A P U T VI.

Idem a *Cant. Archiepiſcopo*.

CUm clerici veſtræ juriſdictionis, ſicut accepimus, decedentibus Eccleſiarum *b* perſonis paciſcantur pro ipſis Eccleſiis *c* majores ſolitis ſolvere penſiones, ut facilius eaſdem Eccleſias poſſint adipiſci; Nos quidem ad tam deteſtabile vitium extirpandum, attentam volumus curam, & ſolicitudinem adhibere. Inde eſt, quod f. v. per A. ſ. præ m. quat. clericis veſtris, ne id attentare præſumant, publice ſub diſtricta pœna prohibeatis; & ſiquidem contra prohibitionem veſtram venire præſumpſerint, ap. ceſſ. eos Eccleſiis taliter adeptis quam citius ſpolietis, & alias pro tantæ præſumptionis exceſſu ſeveritate Eccleſiaſtica puniatis. Ad *d* hæc, quia ſunt clerici quidam, qui cum religioſis viris colluſione facta citra auctoritatem dicti Epiſcopi Eccleſias, quas tenent, eis conſtituunt cenſuales, ut poſt deceſſum eorum Eccleſiæ per repræſentationem eorumdem religioſorum virorum ad filios, vel nepotes clericorum ipſorum poſſint transferri; præſentium auctoritate vobis præcipimus, ut ſi qui clericorum veſtrorum inventi fuerint facere talia, eos a præſcriptis Eccleſiis ſubl. ap. rem. non differatis auctoritate Apoſtolica removere, ne de ſua fraude, vel dolo fructum videantur reportare.

N O T Æ.

1 a CAntuar.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 6. & poſt Conc. Lateran. *pag.* 28. *cap.* 8. *& in c. cum clerici* 11. *de cenſib.* ubi eſt alia pars hujus deciſionis; ex quibus ita hunc textum reſtituo. De Eccleſia Cantuar. egi *in c.* 2. *de reſcriptis*.

2 b *De Perſonis.*) Plerumque liberi homines dicuntur perſonæ, ad diſtinctionem ſervorum. Caſſiodor. *lib.* 6. *ep.* 8. *Quid enim prius facerent inter jura publica, qui perſonam legibus non habebant*. In ſacris Canonibus accipitur perſona pro Clerico majori, qui primam ſedem in Eccleſia parochiali habet, *c. quantum*, 1. *qu.* 3. Joannes Sariſbarienſis *epiſt.* 11. *Aſſerens Eccleſiam eſſe, & ſe perſonam ejus*: notarunt Boſquetus *ad Innoc. III. lib.* 1. *epiſt.* 24. *&* 54. Gaſpar Barthius *l.* 17. *adverſus c.* 3. 5 De perſonis, & perſonatibus Eccleſiæ Cathedralis aliqua adduxi *in c. ad aures* 8. *de reſcript.*

3 c *Majores.*) Secus ſi congruentes; eas enim non ſolventes poſſent propriis Eccleſiis privari. Hanc partem exponemus *in c. fin. hoc tit.*

4 d *Ad hæc.*) Hæc verba reperiuntur *in c. ad hæc* 11. *de cenſib.* ubi ejus commentarium dabimus.

C A P U T VII.

Innocent. III. *In Concilio a Generali*.

PLerique, ſicut accepimus, *b* regulares, & *c* ſæculares clerici, cum vel domos locant, vel feuda concedunt, in præjudicium parochialium Eccleſiarum pactum adjiciunt, ut conductores, & feudatarii decimas eis ſolvant, & apud eoſdem eligant ſepulturam. Cum autem id de avaritiæ radice procedat, pactum hujuſmodi penitus reprobamus, ſtatuentes, ut quidquid fuerit occaſione hujus pacti perceptum, Eccleſiæ parochiali reddatur.

N O T Æ.

1 a GEnerali.) Ita etiam habetur in quarta collectione, *ſub tit. hoc, cap.* 1. & in Concilio Lateran. generali celebrato ſub Innocentio III. *c.* 56. de quo Concilio egi *in c. cum in cunctis* 7. *de elect.*

2 b *Regulares.*) Canonici videlicet Eccleſiarum regularium, de quibus paſſim nos in hoc opere.

3 c *Sæculares.*) Canonici videlicet Eccleſiarum Cathedralium, qui ad differentiam regularium ſæculares dicuntur.

COMMENTARIUM.

4 *Concluſio deducitur, & probatur.* EX hoc Concilii generalis decreto communiter deducitur, *Eccleſiam domum locando, aut rem in feudum concedendo, non poſſe pactum adjicere, ut feudatarii in ea ſepeliantur, & decimas illi perſolvant*. Probant hanc aſſertionem textus *in c.* 1. *de ſepult. l.* 6. *Clementin. cupientes, §. ſane, de pœnis*. Illuſtrant plures relati a Barboſ. *in d. c.* 1. *de ſepultur.* Cenedus in collectaneis *ad* 6. *collect. c.* 10.

5 *Ratio dubitandi.* Sed adverſus hanc aſſertionem duplici argumento inſurgi poteſt. Primum ita efformatur: Illud poteſt fieri pacto, quod poteſt fieri conſuetudine, ut docent Everardus *in locis legalib. loco* 89. Barboſ. *eod. tr. loco* 81. Sed conſuetudine introduci valet, ut decimæ uni Eccleſiæ debitæ alteri ſolvantur, *c. ad Apoſtolicam, c. cum ſunt, de decimis*. Covar. *l.* 1. *variar. c.* 17. *n.* 8. Guttier. *lib.* 2. *canonic. c.* 21. & præſcriptione, *c. cum contingat, c. dudum, de decimis, c. de quarta, cap. ad aures, de præſcript. c.* 1. *eod. tit. l.* 6. *cap. ſtatutum, §. finali, eod. tit. & lib.* Moneta *de decimis, c.* 5. *n.* 103. Rebuff. *eod. tr. q.* 13. *n.* 106. Caniſius *de decim. cap.* 2. *per tot.* Barboſ. *de offic. Parochi, c....* igitur & pacto fieri poterit, ut inquilini, & feudatarii Eccleſiæ alii, quam Parochiali Eccleſiæ decimas perſolvant. Secundum ita etiam proponitur: Nemo tenetur in propria Parochia ſepeliri, ſed poteſt extra eam in quacumque maluerit ſibi eligere ſepulturam, *c.* 1. *c. fraternitatibus* 3. *c. de uxore, in prin. de ſepult. c. cum quis, c. his qui, c. ult. eod. tit. l.* 6. *c. nimis, §.* 1. *de exceſſib. Prælat.* igitur Eccleſiæ inquilini, ſeu ejus feudatarii poſſunt per pactum eligere ſepulturam in ipſa Eccleſia, abſque eo quod Eccleſia Parochialis poſſit infringere ſimilem electionem; cum nemo debeat ſepeliri in propria Parochia, cum deceſſit electa ſepultura.

6 *Decimæ ubi ſolvendæ.* His argumentis minime obſtantibus, vera eſt Concilii noſtri generalis deciſio, pro cujus vera interpretatione primo ſciendum eſt, jure communi inſpecto, poſt diviſionem parochiarum decimas deberi, & præſtandas eſſe parochis propriis, a quibus ipſi fideles ſacramenta recipiunt, *c. decimas, cap. ſi quis laicus*, 16. *q.* 1. *c. tua nobis, c. quamvis, c. cum in tua, c. ad Apoſtolicæ, de decimis*. Suar. *to.* 1. *de relig. tr. de decimis, c.* 21. Hunnius *in encyclop. de decimis cap.* 4. Barboſ. *de jure eccleſiaſt. de decimis cap.* 28. Ratio eſt; nam decimæ præſtantur ad alimoniam, & ſuſtentationem eorum; qui ſeminant ſpiritualia, *c. clericos* 1. *q.* 2. *c. tua nobis, de decimis, c. cum ſecundum, de præb.* ſed Parochi ſpiritualia miniſtrant: igitur illis decimæ ſolvendæ ſunt. Inde vulgo docetur, Parochum habere fundatam ſuam intentionem reſpectu omnium decimarum intra ſuæ Parochiæ limites exiſtentium, *c. cum tua, c. cum contingat, de decimis*: ex quo provenit, ut Parochus ſemper manutenendus ſit in perceptione decimarum ex prædiis propriæ Parochiæ, abſque eo quod Parochus probare teneatur jus decimarum ad ipſum ſpectare. Et ut clarius procedatur, diſcrimen conſtituendum eſt inter decimas prædiales, & perſonales: prædiales enim debentur Parochiæ, ubi prædia ſunt, *d. c. tua, c. quoniam, de decimis, cap. fin. de Parochiis*: per ipſam enim diviſionem Parochiarum a Dionyſio factam, diviſi etiam fuerunt limites earum: unde juxta terminos cujuſque decimæ ſolvendæ ſunt, itaut prædia unius non confundantur cum prædiis alterius, *c.* 1. 13. *qu.* 1. *c. Eccleſiæ, c. ſi quis laicus, cap. quicumque*, 16. *q.* 1. Accedit, nam decimæ ſunt onera realia, ut probat Valenzuela *tom.* 1. *conſil.* 33. ſed onera realia debentur, ubi prædia ſunt, *leg. impoſitiones, C. de publican. & vectigal.* igitur decimæ debentur illi Parochiæ ubi ſunt. Circa decimas vero perſonales certum eſt, deberi in propria Parochia, ubi quis ſacramenta recipit, & Miſſarum ſolemnia audit, *c. ad Apoſtolicæ, de decimis, c. ſignificavit, de Parochiis*. Fagundez *in quinque præcepta, lib.* 1. *c.* 1. Moneta *de decimis, c.* 7. *n.* 21. Ratio eſt, quia ſicut proprius Parochus in propria perſona ſacramenta adminiſtrat, ita æquum eſt, ut illi, quibus adminiſtrat, ipſi decimas perſolvant ex quæſtu, & acquiſitis proprio artificio; & ſi eveniat habere aliquem ob duplex domicilium duas Parochias, ſi unum ſit alterius acceſſorium, principali decimæ debentur: ſi vero æqualiter in eis habitet, inter utrumque Parochum decimæ dividuntur. Rebuffus *de decim. quæſt.* 6. Fagund. *ubi ſup. c.* 3. *nu.* 5. Idem dicendum eſt in decimis mixtis, quæ ex fœtibus animalium præſtantur: ſi enim diverſis anni temporibus in diverſis partibus paſcantur, etiam decimæ dividendæ ſunt: docent Barboſ. *ubi ſupr.* Cancerius *lib.* 1. *variar. reſol.* 13. Tondutus *reſol. canonicar. reſol.* 68. Baſilius *de matr. l.* 5. *c.* 13. *§.* 3. *num.* 23.

7 *Quilibet poteſt ſibi eligere ſepulturam.* Secundo ſciendum eſt, fideles jam a temporibus Concilii Bracharenſis, & Vaſenſis, de quibus *in c. præcipiendum, c. nullus* 13. *q.* 2. poſſe eligere ſepulturam in Eccleſia, quam maluerint, neglecta majorum ſepultura, aut Eccleſia Parochiali, *c.* 1. *c.* 3. *de ſepult.* relicta quarta funerali propriæ Eccleſiæ Parochiali, *c.* 1. *de ſepult.* ubi late dicemus. Si vero fideles non electa ſepultura, ab inteſtato quoad partem hanc decedant, in ſepulchro majorum ſunt tumulandi, *d. c.* 1. *§.* 1. *de exceſſib. Prælator. c. cum quis, c. his qui, c. ult. hoc tit. lib.* 6. Plura Creſpetius *verb. Sepultura*, Julius Lavorus *variar. lucubrat. tit.* 1. *c.* 14. Barboſ. *de offic. Paroch. c.* 26. niſi monachus ſit qui deceſſit; ille enim, ſive eligat ſepulturam, ſive non, ſepeliendus eſt in proprio monaſterio, *c. fin. de ſepult.* docent Chopinus *lib.* 2. *monaſtic. tit.* 3. Tamburinus *de jure Abbatum, diſp.* 34. *qu.* 1. Diana 5. *p. tr.* 3. *reſol.* 110. Peregrini etiam, & abſentes, ſi decedant non electa ſepultura, in Eccleſia Cathedrali debent ſepeliri, *cap. officium, de offic. Archipresbyt.* Sed jam in praxi obtinuit, ut peregrini, & ſcholaſtici decedentes ſepeliantur in Eccleſia, in qua deceſſerunt, etiamſi Parochus illis non adminiſtraſſet ſacramenta. Barboſa *l.* 2. *juris Eccleſiæ, c.* 10. *n.* 31.

8 *Traditur ratio decidendi.* Ex quibus liquido apparet ratio præſentis deciſionis: nam cum decimæ ex juris diſpoſitione debeantur illi Eccleſiæ, ubi aut fundus eſt, aut Parochianus ſacramenta recipit; ſimiliterque electio ſepulturæ libera ſit, & quilibet poſſit eam eligere in Eccleſia, quam maluerit, ſoluta quarta funerali propriæ Eccleſiæ; & pactum, ſeu quælibet conventio contra jus, aut utilitatem tertii non admittatur, *l. juris* 7. *§. ſi paciſcar, & §. generaliter, l. ſi unus* 27. *§. pacta* 4. *l. inter* 42. *ff. de pactis*, ubi Cujac. & Duaren. Vinius *de pactis cap.* 18. ideo pactum, per quod inquilini, & feudatarii tenentur ſepeliri, & decimas perſolvere illi Eccleſiæ, a qua ſacramenta acceperunt, improbatur; cum per illud jus publicum, & privata utilitas lædantur.

9 *Reſpondetur argumentis.* Nec obſtant argumenta in contrarium adducta. Non primum, ex quo dicebamus, id poſſe fieri pacto quod poteſt induci conſuetudine; quia illud argumentum procedit quoad ipſos paciſcentes, itaut quod ab eis auferri poteſt conſuetudine, auferri poſſit ex pacto: at vero quoad jus tertii nunquam procedit, quia ex facto alterius nemo gravari, aut præjudicari debet, *l.* 5. *§.* 5. *ff. de novi operis nuntiatione, l. ſolvendo* 39. *ff. de negot. geſtis, l. non debet* 74. *ff. de regul. jur.* Nec ſecundum refragatur; nam ideo pactum circa ſepulturam improbatur, quia per illud infringitur libertas ſepulturam eligendi; & cum ex juribus ſupra adductis quilibet poſſit ſepulturam eligere ubi maluerit, ideo pactum in præſenti, per quod tenebantur inquilini in certa Eccleſia ſepeliri, improbatur.

10 *Exponitur c.* 1. *de pactis in ſexto.* Sed primo ſuperiori aſſertioni obſtat text. *in c.* 1. *de pactis, l.* 6. ubi proponitur, pactum fuiſſe initum inter Rectorem cujuſdam Eccleſiæ, & certos monachos, ut ipſi monachi non poſſent admittere ad ſepulturam intra ſepta monaſterii, niſi certos, & præfinitos parochianos: quidam parochiani extra præfinitos elegerunt ſepulturam in ipſo monaſterio; conſultus fuit Bonif. VIII. an in propria Eccleſia, an vero in ſepultura electa deberent ſepeliri? Et reſpondit Bonifac. inſuper habita electione ipſorum, debere ſepeliri in propria Parochia, juxta conventionem factam inter Rectores, & monachos. Ex quo Bonifacii decreto expreſſe deducitur, pactum circa ſepulturam conventum obſervari debere: igitur pactum, de quo in præſenti deciſione, ſimiliter cuſtodiendum erat. Augetur hæc difficultas *ex c.* 1. *de ſepult. l.* 6. ubi pacta, & promiſſiones circa ſepulturam in certa Eccleſia eligendam, vel non, improbantur. Similiter in Clementina *Cupientes, §. ſane, de pœnis*, qui virtute pacti aliquem ad ſepulturam admittunt, variis pœnis puniuntur, quia per illud infringitur libertas, & ut ſimoniacum ad alicujus ſuggeſtionem factum cenſetur. Pro cujus textus interpretatione, & conciliatione cum dicto *c.* 1. *de ſepult.* ſciendum eſt, pactum in præſenti ſpecie initum fuiſſe circa ſepulturam inter Parochianum, & Rectorem Eccleſiæ, quod ut ſimoniacum improbatur: at vero *in d. c.* 1. *de pactis*, pactum fuit initum inter Rectorem Eccleſiæ, & monaſterium, quod virtute privilegii, non jure communi, poterat admittere fideles ad ſepulturam: inde Monachi virtute pacti privilegio renuntiarunt, & redacti fuerunt ad jus commune; quo inſpecto parochiani non poterant ſepeliri in monaſteriis. Unde per pactum in eo textu initum nulla illis adimitur libertas eligendi ſepulturam, nec ulla ſimoniæ labes datur; quare pactioni ſtandum eſt: at vero *in d. c.* 1. *de ſepulturis*, dabatur ſimoniæ labes; quare inducentes ad ſimile pactum excommunicantur *in d. Clem. Cupientes*: docent Julius Lavorus *d. c.* 11. *n.* 4.